

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 1.7 17:.

oo Da

75

J. N. R. J.  
POLYHISTOR  
BARBARICUS  
CUM MANTISSA

EX TRANSCENDENTIBUS CATULLIANIS

Consensu

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

M. JOH. HEINRICO ERNESTI,

Poef. Prof. Publ. & Rector Thomano

&

RESPONDENTE

IMMANUELE Gottlieb Geyern,

Reichenbachio Varisco, SS. Theol. Stud.

publica disquisitione excutiendus

III. Cal. Febr. A. R. S. M. DCC. XII. H. L. Q. C.

---

L I P S I Æ,  
L I T E R I S Z E I D L E R I A N I S.

POLYHISTOR  
BARBARIUS  
CUM MANISSA

BY THE REV. GEORGE W. B. ...

In the ...

...

...

M. JOH. HEINRICH BRUNSTL

...

...

...

...





## COROLLARIUM POETICUM

De descriptione somni & grata & inuisa.

**L**audabilis descriptio somni est. *lib. XI. Metamorphos. Ovidii*  
*v. 62. seqq.*

*Somme, quies rerum, placidissime somne Deorum  
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis  
Essa ministeris mulces, reparasque labori.*

Sed nihil odiosius esse potest, quam ut ab alio poeta definitur:

*Stulte, quid est somnus, gelide nisi mortis imago?*

Quæ diversa descriptio apud plures etiam auctores reperitur. Ci-  
cero vocat non solum *laborum omnium & solitudinum perfugium*  
*lib. 2. de Divinat. c. ult.* sed & eidem *mortis imago est. lib. 1. Tusc. 1. 28.*  
Seneca dupliciter quoque eadem ratione definit somnum in *Her-  
cul. Fur. v. 105. seqq.*

*Tuque o. domitor  
Somne malorum, requies animi  
Pars humane melior vite,  
Frater dure languide mortis.*

Ab Homero vocatur *frater mortis.* Virgilio verò *consanguineus*  
*Leti* est. *lib. 6. Æn. v. 278.* Sed non opponuntur sibi invicem diver-  
sæ hæc appellationes. Qui à jurgunditate namque definiunt, eumque  
finem malorum appellant, ad gratum officium respiciunt, quod mi-  
seris mortalibus præstat, quippe quos malorum sensibus subtrahit.

Quo consilio volebat etiam alquando Propertius vino largiter assumpto somnum sibi accersere, ut amorum, quibus torquebatur, oblivisceretur *lib. 3. el. 16. canens:*


*Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,  
Funera sanabunt, vel tua vina malum,  
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,  
Spesque timorque animos versat utroque modo.  
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis  
Arcesitus erit somnus in ossa mea &c.*

Qui verò somnum, ut fratrem & imaginem mortis intuentur, faciunt id, vel, quia ab ignavia deterrere volunt homines, quod versus primus allegatus à nobis contendit, vel quia ad figmenta poetica respicitur, quibus somnus & mors iisdem parentibus nati esse traduntur, ut ferè à poetis fit, vel etiam, ut ostendant, quàm misera post mortem hominis conditio futura sit, quippe qui nihil sensurus sit, perinde, ut in somno omnia membra inertia, atque ab usu cessantia deprehenduntur; quo consilio in Tusculanis Ciceronianis disputatur, Et quidni dicerem etiam, per hanc appellationem idem illud significari, quod prima definitione expressum est. Ut mors enim omnes labores finit & molestias, sic idem etiam beneficium à somno fratre mortis expectari potest. Et valdè fallor, an hoc ipsum à Seneca quaeritur. Nam non alia ex causa de somno agit, quàm ut medicum advocet leniendis Herculis furentis laboribus. Quin in ipsis libris sacris somnus duplici descriptione, quam notavimus, duplici quoque, ut diximus, sine exhibetur. Ut malorum enim terminus sistitur *Eccles. V. v. 11.* quo somnus laborantibus dulcis esse asseritur. Ut ignaviam verò invisam faciat Salomon *Prov. XX. v. 13. Ne ames somnum,* inquit, *ne in paupertatem Te adducat.* Conf. *Prov. VI. v. 10.*

*Theses Supernumeraria.*

1. Per Philosophiam Moralem non consequi possumus Summum Bonum.
2. Anima est immortalis.
3. Conversationem omnem aversari non licitum est.
4. Angeli non sunt cum corpore conjuncti.





# J. N. R. J.

I.

## Versus barbarus.

*Dum cor non orat, nequicquam lingua laborat.*

Jambi.

Vanis jacebis marcidus conatibus,  
Dum verba pro Te, pro tuisque fuderis,  
Ni, dum precantes offeruntur victimæ,  
Quam, major, oris, mentis existat labor.

II.

## Versus barbarus.

*Vita palatina dura est, animæque ruina.*

Jambi.

Inter regentum Principum palatia,  
Quæ vita luxu splendido traducitur,  
Saxis fatigat durior prementibus,  
Delet ruina pessimaque spiritum.

III.

## Versus barbarus.

*Ulula cum lupis, cum quibus esse lupis.*

Jambi.

Aut queis timendum, nilque sævum magis,  
A Te luporum pellito commercia,  
Aut mixtus istis forte sic data choris,  
Queis hi sonabunt, edito simul modos.

A

IV.

IV.

V. B.

*Si benè barbatum faceret sua barba beatum,  
Nullus in hoc circo queat esse beatior hirco.*

Jambi.

Felicitate non foventur prospera,  
Prolixa mentum barba queis hirtum tegit.  
Sic faustitate namque cunctos vincerent,  
Queis ex capellis nascitur proles, Viri.

V.

V. B.

*Nescit prodesse, qui nescit providus esse.*

Jambi.

Non ulla tradent utiles Viri bona,  
Augenda seu res priva, sive publica,  
Accommodatis sæpè cautionibus  
Partes in omnes qui parum providerint.

VI.

V. B.

*Jure coronetur, quicumque pudore repletur.*

Jambi.

Istos coronæ jure velant gloriæ,  
Et dignitatis pulchra pulchræ lumina,  
Cujus rubore vultu pingit vel levem  
Metus decoro suspicans infamiam.

VII.

V. B.

*Gratia debetur pro munere, si cito detur,  
Et si tardetur, ingratum munus habetur.*

Jambi.

Non displicebit, quod dat haud tardâ manu  
Patens in usus indigentum largitas;

Ex-



Extensa longas per moras sed munera  
Ingrata reddit temporis protractio.

VIII.  
V. B.

*Est multum rarò pulchra pudica caro.*

Jambi.

Quem pulchritudo multa vestit, corpori  
Non comparandum quæ decus dant, gratiis,  
Illæsa membra vix tenet libidine,  
Mentemve purâ castitate splendidam.

IX.  
V. B.

*Fili, talis eris, qualem socium Tibi quaris.*

Jambi.

Existimatus justus adstabis bonis,  
Probos amicos si colas & integros.  
Interque cœtus pars notaberis malos,  
Semper sequatur inquinatus si comes.

X.  
V. B.

*Si cœcus cœcum conetur ducere secum,  
In foveam ductor cadit & deinde sequitur.*

Jambi.

Malis tremendam procidentes in scrobem  
Et ductus & dux ejulatus miserint,  
Si, quæ terenda sit profecturo via,  
Qui cœcus, ausit, ipse, cœco dicere.

XI.  
V. B.

*Quod nova testa capis, inveterata sapis.*

Jambi.

Si quem recenti coctor ollæ fuderit,  
Formante primum ceperit quando à manu,



❁ ( 4 ) ❁

Hunc & saporem tincta pertinax habet,  
Multos ad annos quandocunqve venerit.

XII.

V. B.

*Mox erit antiquus curarum semper amicus.*

Jambi.

Qvam destinatum per Deum tempus venit,  
Canis tegetur candidis prius caput ;  
Si quæ cor urget, triste quæ pectus coqv̄it,  
Remissione cura nulla torqveat.

XIII.

V. B.

*Quæ pro parte nocent, plurima sæpè docent.*

Jambi.

Res est molesta, remqve duram dixero,  
Sua dolores mente ferre noxios.  
Sed non magilstrum forsàn ullum noveris,  
Ex quo paratum est plura recta discere.

XIV.

V. B.

*Omnibus in factis, peragendis sive peractis,  
Debet preponi Deus humane rationi.*

Jambi.

Quæ contigere in orbe, spectes omnia,  
Jam sive facta, seu futura dixeris.  
Solum valebit sed ratum visum Deo,  
Humana non quod mens perita cogitat.

XV.

V. B.

*Verbosi liter, Fili carissime, vites.*

Jambi.

Sunt, multa verbis proferunt qui garrulis,  
Et qui tenere nesciunt linguæ modum.

Sed

❁ ( 5 ) ❁

Sed rixa saepe multa sic protruditur.  
Serpente pejus ergo & angve fugeris.

XVI.

V. B.

*Ostia clausa sera mihi sunt, quia profero vera.*

Jambi.

Pulsantem in aedes hospes haud admiserit,  
Claufoque spretus negligor toto ostio.  
Quæ caula tantæ si roges infamiæ?  
Quod vera nunquam cesso candidus loqui.

XVII.

V. B.

*Verbum laudatur, si factum tale sequatur.*

Jambi.

Quicquid futurum voce facta dixeras,  
Cunctis decente laude prædicabitur,  
Si quæ factum lingua & os promiserat,  
Et tale sistat ipsa res & offerat.

XVIII.

V. B.

*In vili veste nemo tractatur honeste.*

Jambi.

Spretus carebit præstitis honoribus,  
Ex plebe multis vilis exque regibus,  
Si quis, remotis vestium splendoribus,  
Ad nos lacernis tectus intret fordidis.

XIX.

V. B.

*Est misero pejus derisio, quam dolor ejus.*

Jambi.

Æquâ dolores mente cunctos concoquit,  
Quem fors iniqua vexat & fatum grave.

A 3

Mors

Mors ipsa sed non creditur sic aspera,  
Ult dente facta livido derisio.

XX.

V. B.

*Qui se non noscat, vicini jurgia poscat.*

Jambi.

Sis qvalis ipse, nosse si desideras,  
Sis forte qvali, qvalibusqve morib us,  
Illius in te concitentur jurgia,  
Vicina tectis tecta qui tuis colit.

XXI.

V. B.

*Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.*

Jambi.

Sic tu disertus offereris omnibus  
Post vina largis sumta multa cirneis,  
Postquam rigavit Jupiter terram imbribus,  
Ut hortus herba plurima & pratium tumet.

XXII.

V. B.

*Divitiis uti est res adversa salutis.*

Jambi.

Ad fata fortis admovetur pessimæ,  
Non foedus uno sordidusqve crimine,  
Non computandum quisqvis inter computum  
Cræsus putari dives & Crassus potest.

XXIII.

V. B.

*Audi doctrinam, sis vitare ruinam.*

Jambi.

Nunquam peribit lapsus in pestes suas,  
Pars turpis orei, moesta mortis victima,

Facis

☉ ( 7 ) ☉

Factis paratis iussa quisquis fecerit,  
Mens quæ magistri fida prudentis dedit.

XXIV.

V. B.

*Principium lauda, quod consequitur bona cauda.*

Jambi.

Probare rerum si velis primordia,  
Non ante nota danda sunt encomia,  
Quam finis in re perpetrata commodus,  
Deprædicandum laude pandat orbi opus.

XXV.

V. B.

*Quicquid nix velat, solis calor omne revelat.*

Jambi.

Non firma semper occultunt velamina,  
Candente quod nix veste dispersa tegit.  
Solis in orbem proferetur lumine,  
Quicquid tenebit moesta namque obscuritas.

XXVI.

V. B.

*Consilium verum docet experientia rerum.*

Jambi.

Rerum peritum multa visa quem ferent,  
Qui multa legit, multa quique præstitit,  
Quod sit saluti, si, tibi, quid suscipis,  
Consultus à te solus iste svaserit.

XXVII.

V. B.

*Qui male mentitur, audita loquens reperitur.*

Jambi.

Relata quisquis sola profert auribus,  
Et non recenset, sumpsit ipse quod videns,

Quis

Qveis notus & qveis fallitur non cognitus,  
Vanus per orbem dissipat mendacia.

XXVIII.

V. B.

*Dogma tuum sordet, qvum Te tua culpa remordet.*

Jambi.

Ad res agendas concitant qvæ pectora,  
Præcepta civi grata prompseris parum,  
Si qvod movere crimen a tuis voles,  
Hoc inquinetur vita, qvam tu transfigis.

XXIX.

V. B.

*Dum ludit fortis, trudit me compede mortis.*

Jambi.

Qvem fortitudo multa per mundum vehit,  
Tecum jocando qvum videtur ludere,  
Lufum caveto ne jocumve vendites.  
Mortis ligabit namqve Te sic compede.

XXX.

V. B.

*Risus habet fletum, nectarqve molestat acetum.*

Jambi.

Multo cachinno plena si conclavia,  
Est ob dolorem forte qui durum flet.  
Nunquam bibentes haustus implet nectaris,  
Qvin non aceti sit simul severitas.

XXXI.

V. B.

*Qui leviter credit, deceptus sæpè recedit.*

Jambi.

Prolata si quis verba non confiderat,  
Et, ut feruntur, cuncta, vera ut, accipit,

☞ ( 9 ) ☞

Is, ante tenta, quam putet, perretia  
Deceptione pessima foedus gemet.

XXXII.

V. B.

*Si cupies pacem, linguam compesce loquacem.*

Jambi.

Si pacis uti vis beatus fructibus,  
Intra penates & per urbis compita,  
Quà nil videbit noxium mundus magis,  
Nunquam remisissis lingua frenis garriat.

XXXIII.

V. B.

*Cura plenus eris, si vis, ut glorificeris.*

Jambi.

Si vis per orbem clara flamma siderum  
Uix computandis prædicari encomiis,  
Noctes diesque qui tuum pectus molunt,  
Te non movendis moribus cura petent.

XXXIV.

V. B.

*Gratia magnatum nescit habere statum.*

Jambi.

Celsas per aulas gratiosum vivere,  
Mundo feretur mel merumque saccharum,  
Istà rigari nolo sed dulcedine.  
Vix namque bulla sistitur durantior.

XXXV.

V. B.

*Gratia fit pluris, quam tota scientia juris.*

Jambi.

Move instituta, tollitoque codicem,

B

Digesta

✽ ( 10 ) ✽

Digesta leges quasque cuncta continent.  
Justus feraris more, quod censet, fori,  
Mens adjuvabit prona sola iudicis.

XXXVI.

V. B.

*Sit cordis festum, panem meminisse comestum.*

Jambi.

Per templâ mentis tanta sit, solennia  
Per festa quanta fervet, exultatio,  
Gratis, manus, si, larga quos dedit, cibi  
Nunquam recedant pectoris recessibus.

XXXVII.

V. B.

*Est homo vix natus ex omni parte beatus.*

Jambi.

Existit ingens computus viventium  
Ex sorte magna, deque parvis censibus.  
Ex parte cuncta ferto sed vel unicum,  
Sincera prorsus quem beet felicitas.

XXXVIII.

V. B.

*Frangitur ira gravis, quum fit responsio socris.*

Jambi.

Quem plena bile turbat indignatio,  
Vocis benignæ blanda ferto pharmaca,  
Sicque ira parvam post moram longe fremet,  
Posis habere quam fidem, sedatius.

XXXIX.

V. B.

*Non omnes sancti, qui calcant limina templi.*

Jambi.

Quæ grata sedi est maximi, cœlo, Dei

Non



✽ ( II ) ✽

Non sanctitate præditi cuncti placent,  
Diis ferendis quæ fruunt honoribus,  
Qui templa multi multa cultores petunt.

XL.

V. B.

*Verbis non jacta Te, sed facias bona facta.*

Jambi.

Quid multa voce, gloriose, jactitas?  
Quid dicis urbes conditas, quid perditas?  
Non ex superbis verba quæ fluunt labris  
Magnum parabunt, facta sed re præstita.

XLI.

V. B.

*Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

Jambi.

Non imperabit commodus dux gentibus  
Donis verendus inter omnes regiis,  
Qui mente quicquid cogitat recondita,  
Seu voce pandit, sive notis gestibus.

XLII.

V. B.

*Iratus rerum nescit discernere verum.*

Jambi.

Considerandis rebus haud est utilis,  
Inter frementes ira quem motus agit.  
Quæ vera, quæque vana foedet falsitas,  
Furore namque perditus nunquam videt.

XLIII.

V. B.

*Nullus tam gnarus, qui non sit laudis avarus.*

B 2

Jambi.

(12)

Jambi.

Per erudita qui feruntur compita,  
Cunctæ arte tincti fulgidâ scientiæ,  
Nævo hoc notandi polluuntur uniso,  
Laudem quod haut, quo fas finit, modo petunt.

XLIV.

V. B.

*Res bene quisque gerens, lucra fit inde gerens.*

Jambi.

Quicumque recte res suas peregerit,  
Promptusque dextra, quidque agendum intelligens,  
Brevi per urbis ora dissipabitur,  
In auctiori nemo quod re floreat,

XLV.

V. B.

*Optimus est quando ludus, non ludere mando.*

Jambi.

Iusta est voluptas, si tuis negotiis  
Quandoque lusu des honesto gratiam.  
Modum tenebis re sed hac, si definas,  
Quum sorte ludis omnium faustissima.

XLVI.

V. B.

*Qui male lucratur, male perdit & annihilatur.*

Jambi.

Possessiones, qui, sibi dum colligit,  
Non approbatis lege quæ sivit modis,  
Congesta rerum per stupenda pondera  
Rebus carebit, si petat necessitas.

XLVII.

❁ ( 13 ) ❁

XLVII.

V. B.

*Scribatur portis: Meretrix est janua mortis.*

Jambi.

Inscribe portis inferasque postibus  
Et, qveis parasti, partibus, totam domum ?  
Le:hi dolendis vinculis adstringitur  
Corpus luparum polluens laboribus.

XLVIII.

V. B.

*Disce bonos mores. Sic Te comitantur honores.*

Jambi.

Est turba, cujus facta leges improbant,  
Est turba, quæ, quod, iusta, convenit, facit.  
Sed recta, quam non iusta me movet magis.  
Hæc astra namque sola tangit gloria.

XLIX.

V. B.

*Contra vim mortis non est medicamen in hortis.*

Jambi.

Omnes sepulchris inferent quæ tristibus,  
In fata præstet quæ ratâ pollens ope,  
Horti hand habebunt, prata nulla proferent,  
Seu potionem, pharmacum sive aridum.

L.

V. B.

*Famina quum jurat, errat qui credere curas.*

Jambi.

Error tenebit maximè culpabilis  
Turpi reatu falsa stringens pectora,

B 3

De-

Deceptionem suspicans nullam fidem  
Juranti habebit qui paratus foeminae.

LI.

V. B.

*Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.*

Jambi.

Terram gubernat, & polum qui dirigit  
Soli fidelis tradito Te Numini,  
Acerbus in res hostis atque acer, caro  
Qvas inquinata sufficit cupidine.

LII.

V. B.

*Dum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?  
Tali namque domo clauditur omnis homo.*

Jambi.

Condens sepulchrum dum vides cadavera,  
Mundana cur non spernis & mortalia?  
Nam structa quæ sic obvenit tibi, domo  
Claudetur, orbi quicquid est viventium.

LIII.

V. B.

*Filius ancilla moratus plus valet ille,  
Quam regis natus, qui non est morigeratus.*

Jambi.

Ancilla ventre continet quem, filius  
Ad jura factis si venustus moribus,  
Quum dignitate, tum magis fatis valet,  
Excelsa quam quem jactitat nativitas.

LIV.

V. B.

*Prava recitare si vis, noli properare.*

Jam-

Jambi.

Progresfione ne citata te move,  
Velocitate fulguris vincens pedes.  
Impertieris, qvos adis, qvo nuntio,  
Invisa tantum fi ferantur auribus.

LV.

V. B.

*Prudentum more teneas quæfta labore.*

Jambi.

Quicquid laboris comparaffi pondere,  
Luxu caveto perdere aut incuriã.  
Qvo more rebus providere conffitit  
Suis, venustat cauta qvos prudentia.

LVI.

V. B.

*Damna fleo rerum, fed plus fleo damna dierum.*

Jambi.

Vultus coortis irrigatur fletibus,  
Jactura fi res atterit triftis meas.  
Major dolentem fed premit moleftia,  
Transacta cedunt qvum fine usu tempora.

LVII.

V. B.

*Pauperis in menfa vires non fercula penfa.*

Jambi.

Mensæ indigentis asfides quando Viri,  
Expensione mentis haud confidera,  
Qvàm copiosis turgeant missus cibus,  
Qvalis ministret fed facultas fercula.

LVIII.

V. B.

*Paupere ditato nil acrius esse purato.*

Jam-

Jambi.

Terræ ex recessu protrahantur fiviri  
 Faventiore sorte parvo pauperes,  
 Attentione non prehendes plurimâ,  
 Qvod sæviente dente sit nocentius.

LIX.

V. B.

*Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit.*

Jambi.

Profusione perditus multa nepos,  
 Qui, quas habebit, dissipat stratas opes,  
 Quo postulata dura comprimat famis,  
 Panem requirit ostia ante civium.

LX.

V. B.

*Stare diu nescit, qui non aliquando quiescit.*

Jambi.

Tractabis aptis non paratus viribus,  
 Qvod bajulandum sumptis valens opus,  
 Semper labore si fatiges corpora,  
 Et nulla membra fessa fulciat quies.

LXI.

V. B.

*Dum mea bursa sonat, hospes mihi fercula donat.  
 Dum mea bursa vacat, hospes tunc ostia monstrat.*

Jambi.

Nummis refertum dum tumet marsupium,  
 Non est, abundet, caupo, qui non ferculis,  
 Instructus ære si parum sed veneris,  
 Neglectus ante dura stabis ostia.

LXII.

V. B.

*Rusticus inflatur nimium, si sæpè rogatur.*

Jam-

☉ (17) ☉

Jambi.

Inflatione turgidus superbiat  
Multum in sicca mente sordens rusticus,  
Si mane primo, sique sero vespere  
A se petentis multa cognoscit preces.

LXIII.

V. B.

*Esse cupis sanus, si Tibi parca manus.*

Jambi.

Multos ad annos, inque protractos dies  
Valente vires possidebit corpore,  
Qui quando edenti porriguntur pabula,  
Parca, haud avara, quod placet, sumit manu.

LXIV.

V. B.

*Eligat aequalem prudens sibi quisque sodalem.*

Jambi.

Prudentioris urget orbis sidera,  
In expetendis qui legit sodalibus,  
Diversa non quem fata forsque deferunt,  
Sed mente, censu, quique par est moribus.

LXV.

V. B.

*Somnia ne cures. Nam fallunt plurima plures.*

Jambi.

Vitato promptus nil, nihilque feceris,  
Mandare visa quod putas insomnia,  
Deceptione sapere nam foedi gemunt,  
Res his agendas qui ferunt autoribus.

LXVI.

V. B.

*Vincere cor proprium plus est, quam vincere mundum.*

C

Jambi,

Jambi.

Nomen per orbem grande Te circumferet,  
Si vasta mundi regna vasti viceris,  
Major sed effert fama, pectoris tui  
Si sensa frangas sapè non parentia.

LXVII.

V. B.

*Est virtus vere semper malefacta cavere.*

Jambi.

Qua vir fereris integer per sidera,  
Virtutis esse credito veræ modum,  
Quo teprehendat noxque solque tempore,  
Ullum, cavere, polluat ne Te scelus.

LXVIII.

V. B.

*Semper egenus eris, si semper plus tibi quæris,  
Quum contentus eris, tum dives efficieris.*

Jambi.

Coetus egentes semper auxeris miser  
Semper parare plura possessis volens.  
Satis fuerunt dona cui presentia,  
Sed pulchra census pars stat inter divites.

LXIX.

V. B.

*Hic bene se ditat, qui semper noxia vitat.*

Jambi.

Non taxet orbis, nonque quem taxet Deus,  
Ditem refertis Te facis bonis modo,  
Queis noxa menti, queis que fertur corpori,  
Nunquam remissus si movere gestias.

LXX.

V. B.

*Virtutum manus prestare potest Deus unus.*

Jambi.



Jambi.

Mundi ministrat cuncta quæ bona incolis  
Per astra rerum Numen unius omnium,  
Virtute sola nos coruscans efficit,  
Modus tenetur quæ tenendus undique.

LXXI.

V. B.

*Spiritus inde perit, dum corpus dulcia quarit.*

Jambi.

Fons atque origo motuum viventium  
Letho peremptus interibit Spiritus,  
Si quod gubernat, censeantur corpori  
Ingens voluptas sola sumpta dulcia.

LXXII.

V. B.

*Est facies testis, quales intrinsecus estis.*

Jambi.

Quod intuentes fugeris, ne credito,  
Sed qualis, ipse proditor, mens, indicas.  
Externus ut se namque vultus ingerit,  
Interna forma sic notatur pectoris.

LXXIII.

V. B.

*In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

Jambi.

Interna mentis quis carere serinia  
Foedo putabit pura crinium situ,  
Quod intuemur, si caput, si tempora  
Ruffo tegantur crinijum velamine?

LXXIV.

V. B.

*Qui bona vina bibunt, vates bona carmina scribunt.*

Jambi.

Vives poetæ fama per Pindi jugum,  
Qvam cæcebus, & quam cuncta Musa præ dicat,  
Vatum caballos credimus quæ, Cæcubis  
Versus daturus si feras ephippia.

LXXV.

V. B.

*Qui non advescit virtuti, dum juvenescit,  
A vitis nescit desistere, quando senescit.*

Jambi.

Qveis chara nondum cura virtus extitit,  
Dum siema prima pube jactant robora,  
Non liberantur noxio ægri crimine,  
Dum lassus obdit cana torpor tempora!

LXXVI.

V. B.

*Postquam gaudebis, rursus post gaudia flebis.*

Jambi.

Dum læta læto læta lux fert júbila,  
Risus gubernent fræna, fac, prudentiæ,  
Postquam recessit namque mellis gratia,  
Mœroris in Te senties abinthia.

LXXVII.

V. B.

*Deficit ambobus, qui vult servire duobus.*

Jambi.

Contentus uno, si bonum det fors, hero,  
Servire nolis servus unus pluribus.  
Utrumque quippe deprehendet perditum,  
Placens duobus qui simul vult obsequi.

LXXVIII.

V. B.

*Cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa.*

Jambi.

❁ (21) ❁

Jambi.

Is destituta mente providentia  
Stultis inanis errat actionibus,  
Pro merce pauca per forum qui mercibus  
In comparandis multa dat numismata.

LXXIX.

V. B.

*Quod procul adfertur, hoc dulcius esse refertur.*

Jambi.

Quæcunque sedis afferet distantia  
Seu mente plena, mente seu carentia,  
Quam terra quicquid nostra nobis protulit,  
Accepta molli sunt magis dulcedine.

LXXX.

V. B.

*Non ullus medicus melior, quam fidus amicus.*

Jambi.

Sunt qui movebunt damna dura corporis,  
Mentis medentes suntque passionibus,  
Sed non Machaon vivit excellentior,  
Quam fida amicus mente qui nos diligit.

LXXXI.

V. B.

*Cedit amor serus ab amantis pectore verus.*

Jambi.

Quem vera fovit causa justo pectore  
Propensus in res mente conceptas amor,  
Ex sede sumpta non prius discesserit,  
Quam multa longo tempore effluxit dies.

LXXXII.

V. B.

*Post mortis morsum versit dilectio dorsum.*

C 3

Jambi.

Jambi.

Pectus sepulchris dulce postquam condidit  
In cuncta lethum sapiens viventia,  
Dum vitæ, quæ nil vidimus ferventius  
Rerum, recedit desinens dilectio.

LXXXIII.

V. B.

*Quid mihi cum bellis, servit mea cura puellis?*

Jambi.

A me facessant bella longe tristia,  
Quæ cæde gaudent, quæque fuso sanguine,  
Venus requirit quam salesque filii,  
Mea est voluptas saccharumque servitus.

LXXXIV.

V. B.

*Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.*

Jambi.

Per prata, nullo comprehendens calculo,  
Profundit ætas mille quos flores modis.  
Sed, quos dolores efficit motusque amor,  
Longe ampliori continentur computo.

LXXXV.

V. B.

*Ars compensabit, quod vis Tibi parva negavit.*

Jambi.

Dolore ne Te mentem edente afflixeris,  
Natura firma non dedit quod robora.  
Ars comprehensa multa doctis dotibus  
Præstabit artus Simfonis, vel Herculis.

LXXXVI.

V. B.

*Nunquam stat clarus, nec tutus dives avarum.*

Jambi.

(23)

Jambi.

Per vasta rerum comparata pondera  
Quem continebit impotens tenacitas,  
Nullo indicatur gloriae praeconio,  
Nunquamque tutus stabit in periculis.

LXXXVII.

V.B.

*Perpetuo lignis crescit crescentibus ignis.*

Jambi.

Semper calenti pabulum adsit foco,  
Et ligna lignis non remissus adjice;  
Duratque flammæ non modo antiquus vigor,  
Vires subinde sed quoque accedunt novæ.

LXXXVIII.

V.B.

*Cautus homo cavit, quotquot natura notavit.*

Jambi.

Prudentis orbis portio haud improvida,  
Quæ cautione fas erit, vitaverit,  
Integritati non datum corpus suæ  
Fosdante sigao quos notatos adspicit.

LXXXIX.

V.B.

*Si concordemus, satis omnibus est, quod habemus.*

Jambi.

Non explicandis junxerit si vinculis  
Sincera nexus pectorum concordia,  
Necessitates sublevabunt omnium,  
Quas intuemur esse praesentes, opes.

XC.

V.B.

*Qua nituis sera, non est confessio vera.*

Jambi

Jambi.

Non facta iusto constituto tempore  
Et tracta seros non mora recta in dies,  
Peccasse summo dicimus qua nos Deo,  
Non veritate nititur confessio.

XCI.

V. B.

*Consilio factum non paniter esse peractum.*

Jambi.

Quæ conciones seriæ considerant,  
Et quæ Senatus visa Prudentum jubet  
Post facta rebus prælitis negotia  
Nunquam sequetur fœda pœnitentia.

XCII.

V. B.

*Omnis in urbe locus fert Deitatis opus.*

Jambi.

Si constat ullus orbis in cunctis jugis,  
Interrogatus explices velim locum,  
Ex quo videnti præbitum haud se ingerat,  
Quod sit peractum viribus diis, opus.

XCIII.

V. B.

*Sic dicunt gentes: Sequitur mala fama nocentes.*

Jambi.

Gentes in omnes dissipatum est rata  
Cum veritate congruens proverbium,  
Vulgare famæ non bonæ voces viros,  
Quorum peracto vita sordet crimine.

XCIV.

V. B.

*Qui violare fidem solet, & violetur eidem.*

Jambi.

Jambi.

Non approbando jure postulaveris,  
Promissa sanctus ut Tibi servem fide,  
Si facta, quæ Te præstiturum dixeras,  
Luisse spe me disco deceptum irrita.

XCV.

V. B.

*Laus in fine sonat, virtus in fine coronat.*

Jambi.

Cœpisse recto res agendas ordine  
Non sorte dignum non tacenda iudico,  
Compleſſe sine, quod facis, præstabili,  
Fert nomen ora per virum laudantia.

XCVI.

V. B.

*Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur.*

Jambi.

Sub cuius umbra contigit levatio,  
Dum tela solis vulnerant ardentia,  
Hortis colonos perque sylvas providos,  
Fas, cura jure multa tangat arboris.

XCVII.

V. B.

*Quod facis ingrato, certo perit undique fato.*

Jambi.

Non pro receptis qui bonis grates agit,  
Nullo puretur dignus à Te munere.  
Nam collocare larga quod volet manus,  
Sic ante certa sorte, quam ferat, perit.

XCVIII.

V. B.

*Vis, ut honoreris, semper canos venereris.*

D

Jam-

Jambi.

Multis videbis fulgidos honoribus  
Parvisque charos, maximisque vultibus,  
Canis fenestra multa quos obtexerit,  
Qui mente sancti, qui pii gestu colunt.

XCIX.

V. B.

*Ingenio plenus vir viribus extat egenus.*

Jambi.

Non me pudore multa complet parvitas,  
Et destitutum viribus quod, corporis.  
Exilitatem namque pensat carneam  
Vis pulchra mentis, & valens sagacitas.

C.

V. B.

*Parcito sepè cibus, & sic annosor ibis.*

Jambi.

Inter refertas parca mensas ferculis  
Et quæ videntur optima, haud tangens manus  
Annis, habebis quos dies vitæ, inseret,  
Canis colendi qui senis superbunt.

ANNOTATIONES.

SUMMARIUM.

**O** versus leoninos barbaricum nomen habet præfens scriptio. §. 1.  
Isti fructus seculorum barbarorum, & unde dicantur. §. 2. In  
his carminibus multi aliarum linguarum idiotismi, imprimisque ex  
Germanica. §. 3. 4. Verba etiam suspecta Latinitatis. §. 5. ut &  
metri adhibendi neglectus. §. 6. Versus rhythmi absque justitia metri  
etsi apud antiquos etiam reperiuntur, barbariem tamen Leoninorum  
non impediunt. §. 8. An in casura versuum quantitas Syllabarum  
non debeat attendi. §. 9. Vicia in Syllabis in eundem sonum termi-  
natis occurrentia. §. 10. Cur Polyhystor nunc exhibeatur? §. 11.  
Proverbia & dicta Scriptura sic tradita. §. 12. 13. Ex articulis fidei  
Christiana excerpta nonnulla. §. 14. 15. Ad res juridicas pertinentia.  
§. 16.



§. 16. *seqv.* An favor iudicis plus valeat, quam iustitia cause. §. 16.  
 Contractus per iustitiam regendi sunt, simulque de jure talionis. §.  
 17. Testes fide digni queruntur in foro. §. 18. Medici iusto iudicio  
 censendi sunt. §. 19. Presentia fidi amici levat morbos etiam corpo-  
 rum. §. 20. A nimia ciborum usurpatione abstinentia conducit va-  
 lerudini. §. 21. Proverbia profanarum literarum. §. 22. quod non  
 omnes, qui sacris interfunt, sancti. §. 23. quod male parca male  
 dilabantur. §. 24. quod ex facie mores hominis putentur. §. 25.  
 Ex dictis sententiosus est, quod aula vitii obnoxia. §. 26. quod ira  
 iudicio mentis impedimento sit. §. 27. quod aequalis socius eligendus,  
 quod, quæ acquisivimus, diligenter conservanda, & quod veritas  
 odiosa. §. 28. Barbas aluere quondam, qui sapientia laudem af-  
 fectabant. §. 29. Terra inferuntur ex communissima tractandi  
 mortuos ratione cadavera humana. §. 30. Exhibita per versus leo-  
 ninos pronuntiata generalia ut exemplis ex historia adductis illustra-  
 ri possint. §. 31. Res Græca sic tradita. §. 32. itemque res Ger-  
 manica. §. 33. Occurrentes in Leoninis formula non tam autorita-  
 te, quam analogia Latine sunt. §. 34. In his non nisi themata in-  
 finita conjuncta referuntur. §. 35. λόγοι τὰμ ἐπιχειροί, quam  
 ἀρχαί, item ἡδῶν & πᾶδῶν exempla. §. 36. Partes Orationis  
 ut occasione ejusmodi illustrari possint. §. 37. Tropi & figura.  
 §. 38. Figure sententiosa, probatoria, amplificantes & affectuosa.  
 §. 39. Periodorum diversitas. §. 40. Character dicendi in humilitate  
 ob nimium neglectum jejunos & exsanguis. §. 41. Diversitas  
 rerum Logicarum ex Leoninis observandarum. §. 42. Distinctio-  
 nes terminorum. §. 43. Prædicabilia. §. 44. Prædicamenta inge-  
 nere cum substantia & quantitate in specie. §. 45. Qualitas. §. 46.  
 Relatio & cætera prædicamenta. §. 47. Affectiones terminorum. §. 48.  
 Oppositiones terminorum. §. 49. Propositiones, eademque enunciantes,  
 & non enuntiantes; ut & earundem termini suo & non suo loco  
 positi. §. 50. Propositiones necessaria, contingentes & possibili. §.  
 51. Propositiones simplices & compositæ, affirmantes & negantes &  
 pro ratione quantitatis diversa. §. 52. Propositiones ternaria, fini-  
 te, absolute & determinate, & ex his exclusivæ & comparantes. §.  
 53. Propositiones conditionales, disjunctivæ & copulativæ. §. 54.  
 Propositiones subordinatæ, aequipollentes, oppositæ & conversæ. §. 55.

Syllogismi quomodo ex versibus barbaricis formari possint? Formataeque sic argumentationes & perfectae & imperfectae. §. 56. Ex parte Logica speciali Syllogismi occurrunt tantum Topici. §. 57. Exempla rerum naturalium ex omnibus divisionibus physices. §. 58. Siquae notata de causis. §. 59. Et de loco tempore & motu. §. 60. Corpora naturalia conjunctim tradita, ut & caelum & elementa. §. 61. Meteorae, metalla, lapides, mineralia, vegetabilia, sensitiva & rationalia. §. 62. Partes corporis & adjuncta, statusque rerum naturalium diversi. Facultates animae rationalis, voluntasque concupiscibilis & irascibilis. §. 63. Quaestiones ex doctrina naturali specialiter decise. §. 64. Boni veri & apparentis exempla. Bonum humanum vel honestum, vel jucundum, vel utile. Bona animi, corporis & fortuna. Malum vel culpa vel poena. §. 65. Actus & potentia. §. 66. Principia essendi & cognoscendi. ibid. Causa universalis & particularis. §. 67. Causa vera & sine qua non. ibid. Materia ex qua, in qua & circa quam, sensibilis & transiens. §. 68. Forma informans & assistens, ut & accidentalis. §. 69. Causa efficiens prima & secunda, univoca & aequivoca, physica & moralis. §. 70. Finis vel extremum notat vel causam finalem. Proque hac est vel cujus vel cui, ut & vel obtinendus vel efficiendus. §. 71. Notitia Dei naturalis vel insita vel acquisita. §. 72. Atributa Dei ex lumine natura innoscentia, inprimisque omniscientia, omnipotentia & excellentia summa, ob quam solus adorari debet. §. 73. Atributa anime rationalis pneumatica, quod sit spiritus dependens incompletus. §. 74. 75. Mathematica barbarica ex Arithmetica, Geometria, Geographia, Astronomia, Architectura tam civili, quam militari, chronologia. §. 76. Moralia praecepta methodo nova colligenda. §. 77. Methodus Aristotelica in hac disciplina cur retineatur? §. 78. Fortitudo declarata. §. 79. Mansuetudo. §. 80. Temperantia. §. 81. Liberalitas & magnificentia. §. 82. Modestia & magna nimitas. §. 83. Ex virtutibus homilicis. §. 84. Inprimis veritas. §. 85. & comitas. §. 86. nec non urbanitas. §. 87. Justitia particularis. §. 88. & universalis. §. 89. Ex virtutibus intellectualibus sapientia & prudentia. §. 90. Caute in aulis potentium versandum est. §. 91. Federe coeunt optime moribus similes & conatibus. ibid. Nihil sine consilio faciendum est. ibid. Disimulatione in politis opus est. §. 92. Lupanaria toleranda non sunt. ibid. Leges sumtuariae

suavia ferenda. *ibid.* Epitaphia ponenda nec transferenda. §. 93. Nobilitas in civitate duplex, generis & virtutis. *ibid.* Futurorum casuum cura teneri oportet patrem familias. §. 94. Calamitates domesticae in usum convertenda. *ibid.* Recte expedienda sunt officia familiaria. *ibid.* Mala media in comparandis rebus non usurpanda, *ibid.* Res acquisita diligenter custodienda. *ibid.* Luxus removendus ex domo. *ibid.* ut & desidia. *ibid.* Opes habenda patri familias, sed sine πονηρίας. §. 95. Servi alteri domino non debent esse obnoxii. *ibid.* Merces majori pretio non comparanda sunt, quam fas est. *ibid.* Rusticus rerum naturalium notitiam habere debet. §. 96. Mercatores ex rebus peregrinis non sine fructu afferunt, quae regionibus, in quibus existunt, & negotiantur, cordi sunt. *ibid.* Vinum caballum poetarum. §. 97. Polymathia poetica. §. 98. Versus Leonini ex omnibus caeminum generibus exercenda poesi dant materiam. §. 99. Mutatae dicendi rationis ligato sermone facta exempla. §. 100. Conclusio commentationis. §. 101.

## §. I.

**P**olyhistor barbaricus dicitur praesens scriptio, quod res ex universa disciplinarum omnium, quibus eruditi censentur, amplitudine exhibet ex versibus in seculis barbaris inventis atque excultis & ante alios in deliciis habitis.

§. 2. Et quod res praesentes quidem ex barbarica tractandi studia literaria ratione petita sint, vel ex eo capies, quod in versibus Leoninis quaeruntur. Testati enim jam pridem sunt viri eruditi, versus Leoninos fructus esse seculorum barbarorum. Rolandus Marcius *lib. 2. Epist. 4.* ita de hac re scribit p. 253. *Sed seculo demum barbaro, postquam vera poesis prorsus erat abolita, in hisce illius imitamentis, seu potius dehonestantis multum est desudatum. Inde versus condi capere, quos Leoninos dixerunt, similiter desinentes, & sine in eundem cadentes sonum. Unde vernacula poesis, quae apud omnes Europa gentes hodie viget, originem duxit.* Prolixius verò de eadem re agit Morhofius in *Dissert. de Germanica lingua & Poesi, ejusque origine, progressu & praeceptis c. 9. a. p. 589. usque ad finem capituli.* Ex quibus illud tantum adjieci ex p. 602, quod Leonini dicantur, quoniam in certo inter varias eorum classes genere Leonius Can-

nonicus quadraginta & tres scripserit. Appellationeque adeo hæc insigniuntur, ut fabulæ, quæ ex *μύθοις* & vel *πρωμύθοις* vel *ἐπιμύθοις* constant, Æsopicæ dicuntur, quod plurimas Æsopus excogitavit.

§. 3. Sed non ex testimoniis solum creditorum innotescit, hos versus barbaricos esse, sed satis indiciorum continent etiam ipsi in se.

§. 4. Proprietas eruditionis barbaricæ est, quod verbis latinis varii idiotismi linguarum inseruntur, quæ eo tempore gentibus viventibus vernaculæ fuerunt. Nosque ex præsentibus Leoninis datos tantum Germanismos notabimus. Ad hos enim referendæ sunt formulæ: inem die Thüre weisen, it. den Rücken zusehren oder zuwenden. Prior occurrit n. 61.

*Dum mea bursa sonat, hospes mihi fercula donat;*

*Dum mea bursa vacat, hospes tunc ostia monstrat.*

Posterior verò n. 82.

*Post mortis morsum versit dilectio dorsum.*

Imo adjiciam etiam tertium, habere statum *Stand halten* n. 34.

*Gratia magnatum nescit habere statum.*

§. 5. Multa observare licet verba suspectæ latinitatis, & quæ in seculis barbaris tantum usurpata fuerunt, nonque in veræ latinitatis scriptoribus inveniuntur. Atque hujusmodi est bursa pro crumena, quæ vox videtur in duobus versibus jam in §. proxime antecedente ex n. 61. allegatis. Prævum pro eo, quod minus prosperè gestum esse vel accidit, non nisi barbaricè dicitur. Barbarus est ergo n. 54.

*Præva recitare si vis, noli properare.*

Et verbum annihilare sordibus etiam originem debet n. 46.

*Qui male lucratur, male perdit, & annihilatur.*

Et vox perdit pariter etiam non ferenda est, si pro perit accipitur, ut accipi in eodem loco videtur. Ita enim in eodem sensu cum τὸ annihilare coheret, ut synonymiam faciat. Veræ latinitatis scriptor antiquum pro fene, seu, qui ad multos ætatis annos pervenit, vel potius, qui ob defectum virium multos annos habentibus par putandus est, nunquam usurpabit. Quod tamen sit n. 12.

*Mox erit antiquus curarum semper amicus,*

Sequitur, quando pro eo sumitur, qui manu ducendus est, ex recentiore & adulterina ætate est. n. 10.

*Si cæcus cæcum conerur ducere secum,*

*In foveam ductor cadit & deinde sequitur.*

Ipsium vocabulum latinum quidem est, sed in alia significatione. Notat enim gladiatorum genus. Juven. Sat. 8. v. 210.

*Cum Graccho jussus pugnare sequitor.*

Morigeratus pro bonis moribus prædito non nisi cum offensione latinitatem genuinam captantium aurium dicitur. n. 53.

*Filius ancilla moratus plus valet ille,*

*Quàm regis natus, qui non est morigeratus.*

Clarum stare, pro in celebritate esse & gloria, ut & curare pro sustinere seu adduci & moveri ad aliquid faciendum nondum plane etiam admitto. n. 86.

*Nunquam stat clarus nec tutus dives avarus.*

nec non n. 50.

*Femina quum jurat, errat qui credere curat.*

Barbarica quin catachresis est, quando bona cauda ponitur pro bono sine seu exitu. n. 24.

*Principium lauda, quod consequitur bona cauda.*

§. 6. Quod si versus ipsos intueamur, deprehendemus, multos à viâ, quam probati poetæ terunt, recedere, quod, quâ quantitas metri vel hexametri vel pentametri rectitudinem exigit, contra eam peccant.

Pertinentque huc

n. 2. *Vita palatina dura est, animaque ruina.*

n. 3. *Utlula cum lupis, cum quibus esse cupis.*

n. 5. *Nescit prodesse, qui nescit providus esse.*

n. 18. *In vili veste nemo tractatur honeste.*

n. 21. *Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.*

n. 27. *Quod male mentitur, audita loquens reperitur.*

n. 37. *Est homo vix natus ex omni parte beatus.*

n. 41. *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

n. 54. *Prava recitare stivis, noli properare.*

n. 55. *Prudentum more teneas quæstia labore.*

n. 90. *Qua nimis sera, non est confessio vera.*

§. 7. Atque duo quidem videntur impedimento esse, quo minus, quæ sic notamus, inter barbaricam dicendi rationem referamus.

§. 8. Commemorat principio namque supra jam allegatus Morhofius *l. c. p. 594. 595. seqq.* fuisse & apud veteres quum Græcos tum Latinos certos versus, qui rhythmi dicti sint non tamen, quod in fine quoad sonum convenirent, sed quod numerum Syllabarum, quantum versus legitimus requirebat, quidem habuerunt, etsi quantitatem Syllabarum non observaverint, prout observari oportuit. Talesque versus esse non tantum, qui à Comicis usurpati fuerint, sed exemplum quoque posse esse, quem milites in Cæsarem iactaverint:

*Urbani servate uxores, mæchum calvum adducimus.*

Qui versus sit Trochaicus, quoad numerum, non autem quoad quantitatem: Sicque adeo & in versibus Leoninis numerum Syllabarum servari, etsi quantitas Syllabarum non bona sit. Atque etiam non inficiabor, fortè ex hac causa non observatam quantitatem Syllabarum in versibus Leoninis esse, maximè, quum constet, & apud Pontificios imprimis multos ejusmodi versus adhuc deprehendi, qui sic procedunt, & qui ex seculis barbaris etiam residui sunt. Quales plures existunt in *Paradiso Animæ Christianæ Horstii Colon. Agripp. 1675.* impresso. In quo de Sanctissima Trinitate quidam pag. 82. ita sonant:

*Proficentes unitatem  
Veneremur Trinitatem  
Pari reverentia,  
Tres personas asserentes  
Personali differentes  
A se differentia.  
Hæc dicuntur relativè,  
Quum sint unum substantivè  
Non tria principia.  
Sive dicas tres vel tria  
Simplex tamen est usita  
Non triplex essentia.*

Referendi autem hi versus etiam sunt ad Trochaicos. Sed hoc ipso tamen, quicquid sic scribitur, rejiciendum est, quod tota ista poësis ryth-

rythmica non nisi à vulgo usurpata est, aut iis, qui mores vulgi ex-  
primebant, ut Comici facere solent, non autem à verè eruditis. Quia  
cum aliis etiam elegantia barbaricæ inquinamenti copulata est. Et  
nemo ex nostris etiam temporibus elegantiorum poetarum est, qui  
in pretio, qui sic funduntur, versus habeat, & alicujus momenti pu-  
tet. Cæterum in senariis etiam Phædri metrum accuratum non oc-  
currere, observatum est; fabulasque adeo Æsopiæ non aliis, nisi ryth-  
micis, versibus ab eo exhiberi, existimo. Id verò an consilio factum  
sit, & quia, ut stylo humili fabulæ Æsopiæ tractandæ sunt, ita in me-  
tro etiam poeta vilitatem aliquam affectavit, an casu, & quia vel, ut  
eruditissimos omnes, ita & Phædrum nonnulla, quæ sciri debuerunt,  
præterire, vel servitutis, aut post servitutem persequutionum ad-  
versitates ad omnem doctrinæ excellentiam non admiserunt, deter-  
minare nondum sustineo. Sed illud tamen certum est, ex literarum  
humaniorum indigentia non convenientè metro profusum fuisse pen-  
tametrum in disticho Fichtelmanni cujusdam, quod his verbis refert  
Reinhardus Backius in *Psalm. VII. f. 121. Witteberge triginta abhinc  
annis miser quidam homo erat, Fichtelmannus dictus, studiosorum  
lusus. Fidem ille dederet ancilla conjugalem. Sed illa resilit alteri  
copulata: ubi bonus ille Fichtelmannus hos versus rabule heri sui ab-  
sentis adscripserat, quærens in ejus reditu, an boni essent:*

*Sum Tibi confisus, posthæc Tibi fidere nolo.*

*In deo confidam, qui mihi Sponsam dabit.*

§. 9. Opponi secundo potest, quod quantitas plerumque non  
observata sit in Cæsura. Notum verò etiam esse, quod versus lati-  
nissimi à latinissimis poetis confecti hanc licentiam non solum sibi  
sumant, sed quod à Scriptoribus etiam, qui doctrinam poeticam ex  
præceptis artis tradunt, inter privilegia hæc res poetica feratur. Sed  
versus Leonini non solum in cæsura breves Syllabas pro longis po-  
nunt, sed alibi etiam, ut in isto pentametro: *Illula cum lupis, cum  
quibus esse cupis.* Disputari deinde etiam possit, an poetæ, qui in  
cæsura ita versati sunt, studio non casu, atque adeo errore, loco Sylla-  
bæ, quæ longa debebat esse, brevem posuerint, ut veteres poetæ non  
minus, ut qui nostro tempore vernacula lingua scribunt, errare in-  
terdum ex imbecillitate humana potuerunt; sicque privilegium ja-  
ctatum fundamento forsitan lubrico innitatur. Et esto etiam, licen-  
tiam

tiam hanc poetis competere, non debuisset tamen adeo frequenter usurpari. Nam licentiæ poeticæ arcana quasi quædam suæ artis sunt, quæ per frequentem usum æque minus vulganda sunt, ut principes in vulgus facile non edunt, quæ arcæano jure competere sibi norunt. Quin observamus, privilegium hoc ad alia etiam extendi, in quibus non conceditur. Nam versus Leoninæ non quantitatem modo etiam extra cæsuras negligunt, ut modo notavimus, sed in concursu quoque plurium vocalium elisionem nulla elegantiorum poetarum familiari consuetudine non faciunt ut n. 22.

*Divitiis uti est res adversa salutis.*

§. 10. In syllabis in eundem sonum desinentibus reprehendendum est, quod iidem soni in syllabis diversæ quantitatis existant, ut fit n. 33. *Cura plenus eris, si vis, ut glorificeris. & n. 38. Frangitur ira gravis, quum sit responsio suavis, & n. 9. Fili, talis eris, qualem socium Tibi queris.* Non ferendum secundo exultimo, quod per duas syllabas eundem sonum habentes syllabæ istæ non ex iisdem elementis compositæ. Sicque diversitas diphthongi æ & simplicis vocalis e apparet in vocibus æquum & secum n. 10.

*Si cæcus cæcum conetur ducere secum.*

Et in commate periodi hujus altero syllabâ duc in ductor & qui in sequutor sono convenire ex intentione poeta debent:

*In foream ductor cadit & deinde sequutor.*

Idem fit n. 12.

*Mox erit antiquus curarum semper amicus.*

*Icus* enim in *amicus*, & *iquus* in antiquis literis distincta sunt. Tertio vitiosum est, quod eadem vox habetur pro conveniente sono, si bis repetatur. Nam ad idem sonantem rythmum opus est, ut voces eundem sonum continentes diversæ sint. Peccatur autem ita. n. 44.

*Res bene quisque gerens, lucra si inde gerens.*

Idem fit n. 25.

*Quicquid nix velat, solis calor omne revelat.*

§. 11. Atque ita barbaries Polyhistoris præsentis satis patet. Sed æque facile etiam credemus, omnium ad eruditionem omnem spectantium disciplinarum res sic tradi, si, quæ per versus hos leoninos exhibentur, paulo consideratius excusserimus. Faciemus itaque



que paucis. Sicque trademus nonnulla ad Theologiam qua referenda. Ostendentur quaedam, quae in Jurisprudencia occurrunt. Expendenda accipiemus, quae in Medicorum scholis teruntur. Offerrentur non pauca etiam, quae a sapientiae & humanitatis doctoribus praecipiantur.

§. 12. Ex Theologia occurrunt primum proverbialia quaedam, quae in ipsis sacris literis totidem verbis leguntur:

*Matth. V. v. 24.* ita Graece legitur: *ἄδεις δύναται ὑποὶ κυβίης θαλάσσης, ἢ γὰρ τῶν ἑναμισήσῃ καὶ τῶν ἑτερον ἀγαπήσῃ, ἢ ἐνὸς ἀνθρώπου καὶ τῶν ἑτέρων κατὰ φρονήσῃ.* Sed haec verba ita exprimuntur n. 77.

*Deficit ambobus, qui vult servire duobus.*

*Matth. XV. v. 14.* proverbium aliud his Graecis verbis exhibetur: *τυφλὸς τυφλὸν ὅταν ὀδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσόνται.* Confer *Luc. VI. v. 39.* Sed hoc proverbium traditur n. 10.

*Si caecus caecum conatur ducere secum,*

*In foveam duكتور cadit & deinde sequitur.*

§. 13. Videntur mox etiam in versibus Leoninis sententiae ex scriptura depromptae. *Matth. XIX. v. 23.* ait Christus, *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι δυσκόλως πλέσῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* Haec vero sententia continetur n. 22.

*Divitiis tui est res adversa salutis.*

*Proverb. XV. v. 1.* monet Salomon, quod mollis responsio avertat iram. Sed haec verba sistuntur n. 38.

*Frangitur ira gravis, quum sit responsio sua vis.*

Ejusdem regis pronunciatum est, exitio subtrahi, qui doctrinam recipiant. Idque docetur imprimis *Prov. II. v. 10. 11. 12.* Idem *Prov. III. v. 1. 2. 3. 4.* Hucque etiam trahendus est n. 22.

*Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.*

*Prov. XIV. v. 15.* simplex omni verbo credere scribitur. Cum quo loco congruit *Syrac. XIX. v. 4.* Hoc exprimitur n. 31.

*Qui leviter credit, deceptus saepe recedit.*

*Syrac. XXIII. v. 7.* monentur boni, ut os compefcant, ne incidant in perniciem. Fit idem in Leoninis versibus n. 32.

*Si cupies pacem, linguam compefcere loquacem.*

§. 14. Sed & ex articulis fidei certae theses in his versibus deprehenduntur. In loco de scriptura sacra instruumur, rationem subji-

ciendam esse revelationi. 2. Cor. X. v. 5. Hæcque doctrina continetur n. 14.

*Omnibus in factis peragendis, sive peractis,  
Debet proponi Deus humana rationi.*

In articulo de libero arbitrio discimus, quod homo in rebus spiritualibus nihil præstet, quodque omnia bona, quæ in hominibus sunt, à Deo existant. Joh. XV. v. 5. Hinc n. 76.

*Virtutum munus præstare potest Deus unus.*

In loco de justificatione docetur, quod per justificationem in hærentia peccati originalis non tollatur, & quod hoc in renatis semper vivat & operetur, hominesque justificati adeo semper opus habeant, ut illi resistant, illudque compefcere conentur. Rom. VIII. v. 12. & 13. *ἀρα ἢν ἀδελφοί, ὁ Φαίλεται ἐσμέν ἐ τῆ σαρκί τῆ κατὰ σάρκα ζῆν, εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν, εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τῆ σώματος. Θ. θανατῆτε, ζῆσαθε.* Hincque audimus n. 51.

*Vive Deo soli, quod amat caro, quærere noli.*

n. 66. *Vincere cor proprium plus est, quam vincere mundum.*

n. 71. *Spiritus inde perit, dum corpus dulcia querit.*

§. 15. De poenitentia traditur, quod illa non differenda, sed maturanda sit. Ebr. III. v. 7. seqq. Conf. Syr. XVIII. v. 22. Hinc legimus n. 90.

*Quæ nimis sera, non est confessio vera.*

In invocando Deo magis mente quam verbis orandum est. Matth. VI. v. 5. seqq. Es. XX. v. 22. Legimus ergo n. 1.

*Dum cor non orat, nequicquam lingua laborat.*

Mors denique à Theologis omnibus imminere creditur. Rom. V. v. 12. Huc ergo trahendus est n. 52.

*Dum tumultum cernis, cur non mortalia spernis?*

*Tali namque domo clauditur omnis homo,*

§. 16. Ad forum & Jurisprudentiam pertinet verbum vulgare, non raro vincere in judicio magis, quibus judex faveat, quam qui bonitate causæ nitantur. Idque quidem qua veritate non inter plebejos solum, sed prudentia etiam insignes homines circumferatur, hujus loci dispicere non est. Quod verò notissima inter homines & dispersissimæ vox sit, vel ex n. 35, ostenditur:

Græ-

*Gratia fit pluris, quam tota scientia juris.*

§. 17. Juris prudentiæ etiã est regere contractus per justitiam. Refero ergo huc n. 94.

*Qui violare fidem solet & violetur eidem.*

Recte autem intelligendus est hic versus. Non enim ita interpretandus, quasi qui unum contractum læsit, illi vicissim alii contractus non servandi sint. Sed de eodem contractu sermo est, indicatque poeta, non obligatum esse alterum ad præstandum id, de quo in contractu conventum est, si alter facere nolit, quod & ipse promisit. Sed ita tamen etiã exponere possumus, plerumque venire, ut qui promissa non servat, eidem Deo sic res gubernante & dirigente vicissim promissa non præstentur, sicque jus talionis indiget. De quo & in sacris literis & in profanis scriptoribus multa traduntur. Vid. *Lev. XXIV, v. 19. seqq. Matth. VII. seqq. Luc. VI. v. 36. seqq.* Et apud Romanos lex quoque fuit, ut qui alteri manum amputasset, illi manus vicissim amputaretur. Eaque lex in tabulis decemviralibus reperitur. De talionis jure autem copiose & prolixè non pauca congestit Georgius Stengelius *in integro Tractatu*, quem Talionem appellat.

§. 18. In foro opera tertio etiã danda est, ut in probandis & confirmandis causarum factis testes adhibeantur fide digni. Quo casu suadendum, ut viri præferantur foeminis *ex n. 50.*

*Fœmina quum jurat, errat, qui credere curat.*

Et ut testes oculati majoris fiant, quam qui rem auribus solum perceperunt. *ex n. 27.*

*Quod malè mentitur, audita loquens reperitur.*

Et quod posteriori loco prolatum est, ex Plauti autoritate in primis confirmatur. Nam *Trucul. act. 2. sc. 6. v. 6. seq.* ita habetur:

*Non laudandus est, qui plus credit, qui audit, quam qui videt.*

*Non placet, quum illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident.*

*Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.*

*Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt.*

§. 19. Medicos justo judicio censere, & quousque fiducia in illis collocanda sit, didiccris, si in notitiam veniat, nullum etiã

inter excellentissimos existere, qui mortem plane vel à toto genere humano vel à singulorum ægrotationibus avertere possit & depellere, Hacque accommodandus est, n. 49.

*Contra vim mortis non est medicamen in hortis.*

§. 20. Ezurgit in morbis non tantum animi, sed etiam corporis laborantibus levatio mali, quando præsens, de cuius fide gloriari licet, amicus est, quod erectiores per tam exoptati boni fructum facti spiritus tolerandis doloribus & infirmitatibus vires non impares vel præbent vel sustinent. Quod quidem & Plinius junior indicavit lib. 8. Ep. 16. *Est quedam etiam, inquit, dolendi voluptas, præsertim si in amici senu desitas, apud quem lacrymis tuis vel laus sit, parata vel venia.* Et Æschylo consolationes amici vocantur *λόγοι ἰατροί*: & Demosthenes scripsit in epistolis: *λύπην ἔνως ὀϊδε θραρυένων φίλος, καὶ λύπης ἰατρὸς φίλων ἔννοια.* Sed & huc tendit n. 18. quando nullum medicum meliorem esse docet, quam fidum amicum:

*Non ullus medicus melior, quam fidus amicus.*

§. 21. Præceptum in medicina diæticum est, abstinendum a nimia usurpatione ciborum esse, nisi magnum detrimentum valetudini afferre velimus. Neque solum sic peccare putamus, qui magnam copiam alimentorum consumunt, verum etiam qui crebrius, nonque statuto tempore stomachum complent, & qui nimia victus varietate delectantur, & qui delicatiores mensas, & in quaerum constructione & apparatu ad luxum magis, quam ad necessitatem corporis respicitur, sectantur. Hocque significatur ex Polyhistore n. 63.

*Esse cupis sanus, sic tibi parca manus.*

& n. 100.

*Parcito sæpè cibus & sic annessor ibis.*

§. 22. Ex literis humanioribus observo imprimis & proverbiales nonnullas formulas apud eleganter eruditos etiam notatas, & sententiosâ pronuntiata, quæ apud probatos scriptores quam Latinos tum Græcos aliarumque etiam linguarum occurrunt.

§. 23. Inter proverbia apparet, quo docemur, ex externo habitu de ipsa rei veritate iudicium capiendum non esse. Mul-

res enim aliter quoad externum habitum se gerere, quam ipsi  
revera, si intus considerentur, existant. Hucque pertinet n.  
39.

*Non omnes sancti, qui calcant limina templi.*  
Habentur enim complura adagia alia, quæ eandem rem exponunt.  
Multi Thyrsiferi, pauci Bacchi. Non omnes, qui habent citharam,  
sunt citharædi. Plures Thriobolos, paucos est cernere vates.  
Multi, qui boves stimulant, pauci aratores. Quæ omnia colle-  
cta sunt in Erasmi *Chiladibus* f. 182. 183. Et notabilia sunt verba,  
quibus ibidem, quod primum allegatum est, declaratur: *Signi-*  
*ficatum esse hoc verbo, scribit, compluribus mortaliū adesse virtu-*  
*tis insignia, aut etiam famam, qui tamen vera virtute vacent. Ut*  
*non omnes veri Theologi sint, qui pileum Theologicum gerant, quive*  
*hoc nomine sint donati; Non omnes Poëta, qui se eo titulo circum-*  
*ferant: Non omnes Monachi, qui cucullo onerentur: Non omnes*  
*Christiani, qui ceremoniis agant Christianum, non omnes generosi,*  
*qui torquem gestent aureum: non omnes virgines, quæ passis sint*  
*capillis: non omnes reges, qui diademate insigniantur; non omnes*  
*Episcopi, qui mitram gerant bicornem, aut pedum argenteum; non*  
*omnes imperatores, qui in vexillis ostentent aquilam. Præterea ut*  
ipse Christus idem Proverbium usurpavit *Matth. VII. v. 21. ita ad*  
illustrandum illud quadrabit germanicum illud: *Es sind nicht al-*  
*le Köche, die lange Messer haben.*

§. 24. Aliud Proverbium est n. 46.

*Qui male lucratur, male perdit & annihilatur.*

Ita enim exprimitur dictum latinus: *Male parva male dilabuntur.*  
Et hæc quidam verba Ciceronis sunt, qui ex Poëta allegat, quem  
ignorat. Et Plautus forte est. Nam apud illum est: *Male par-*  
*tum, male disperit.* Videatur idem Erasmus f. m. 202. Et idem  
eodem loco aliud Proverbium in eundem sensum allegat: *Αλάω*  
*ὁ Πόσιος, ἐνδὲν ἡλίου, ἐνδ' ἔβη, id est, sal abiit illuc, unde di-*  
*manaverat. Senarius in eos, quibus male parva male disperunt.*  
*Natum adagium ab eventu. Negotiator quidam navem onustam*  
*sale nebebat, navis dormitantibus influxu aqua marina sentina ve-*  
*bementer adaucta & sale m universum solvit ac corruptæ & navem*  
*ipsam demersit. Itaque quod ex aqua marina natum fuerat (Nam*  
hinc

hinc conerrescit sal) in eandem denuo liquefactum est. Germani sic efferunt: Übel gewonnen, übel zerronnen.

§. 25. Loco proverbii notandum ulterius existimo n. 72.

*Est facies testis, quales intrinsecus estis.*

Et præcipue hoc adagium in sacris scriptoribus invenitur. *Ecclesiast. XIII. 31. Καρδία ἀνθρώπου ἀλλοιοῖ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐὰν δ' εἰς ἀγαθὰ, ἐὰν δ' εἰς κακά. & iterum c. XXVI. v. 10. πορνεία γυναικὸς ἐν μέσσοις τοῖς ὀφθαλμοῦν καὶ ἐν τοῖς βλέφαροις αὐτῆς γνωσθήσεται.* Et *Matth. XII. v. 34. ipse Salvator: Ἐκ τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα.* Sed invenitur tamen etiam apud alios scriptores tam sacros quam profanos. August. *Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Et Tibullus canit *lib. 3. eleg. 7. v. 1.*

*Heu quam difficile est imitari gaudia falsa!*

*Difficile est tristi fingere mente jocum!*

Menandri versus est:

*ἀνδρὸς χαρὰν ἢ ἐν λόγῳ γνωρίζει.*

§. 26. Inter dicta sententiosa primo loco ponitur. v. 2.  
*Vita palatina dura est, animæque ruina.*

Sic enim exhibetur, quod Lucanus canit *lib. 3. v. 493. seqv.*

*Exeat aula,*

*Qui vult esse pius. Virtus & summa potestas*

*Non cœunt.*

Et apud Senecam in *Hippolyto est versus 978.*

*Fraus sublimi regnat in aula.*

Sed de aula quàm vitiiis, tam periculis plura congestit, idque ex literis non tam antiquioribus, quàm recentioribus, Reinhardus Baskius *Comment. in Psalm. LII. f. m. 34.* Ex quibus hæc excerptisse jam sufficiat:

*Invida sinceris non amat aula viros.*

*Sic est, sublimi semper fraus regnat in orbe.*

*Gute Kleider, gute Dissen,  
Döß Gesundheit, böß Gewissen?  
Hat der Hofmann zu genießen.*

*Rara avis in toto vere pius aulicus orbe est.*

*Non bene conveniunt virtus & summa potestas.*

Vide ibidem plura.

§. 27. Quod ira impedimento sit, quo minus verum iudicium de rebus feramus, per mille testes fide dignos constat. Horat. lib. 1. Epist. 2.

*Qui non moderabitur ira*

*Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens,*

*Dum pœnas odio per vim festinat inulto.*

*Ira furor brevis est.*

Ad quem locum similes sententiæ adjiciuntur in Notis Dionysii Lambini his verbis: *Sic Themistius in Oratione de amicitia: ἐγὼ δ' οἶμαι, inquit, τὴν ὀργὴν μανίαν ὀλιγοχρόνιον εἶναι. Quod notat M. Antonius Muretus. M. Tullius Tuscul. 4. An est quicquam similis insania? Et Apollonius dicebat, τῆς ὀργῆς θυμίας τὸ ἀντὶ ὅτι εἶναι μανίαν, id est, iracundia storem esse insaniam; & Plutarchus in Romulo ὀργῆς τάχ' ἀβέλων, id est, ira celeritatem inconsideratam & consultationis expertem. Sed hæc omnia complexus est unus Leoninus, n. 42.*

*Iratu rerum nescit discernere verum.*

§. 28. Possint ex hoc censu plura tradi. Sed tria tantum ad- huc breviter notabimus. Primum exhibetur. n. 9.

*Fili, talis eris, qualem socium Tibi quaris.*

& n. 64.

*Eligat æqualem prudens sibi quisque sodalem.*

Secundum n. 15.

*Prudentum more teneas quesita labore.*

Tertium n. 16.

*Offia clausa sera mibi sumi, quia profero vera.*

Ad primum adjicio non minus notum communiter versum:

*Nescitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.*

Et celebrata non minus Ciceronis ex Catone sententia est:

*Pares cum paribus veteri proverbio facillime congregan-*

*tur.*

Secundum æque etiam versu admodum familiari illustratur:

*Non minor est virtus, quam quarere, parta tueri.*

Et eodem etiam tendit Curtius, quando ait. *l. 4. c. 11. Facilius est quedam vincere, quàm tueri.* Ad tertium illustrandum conducibile est, quod apud Terentium legitur: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et Cic. *ad Att. lib. 3. Epist. 24. Ista veritas etsi jucunda non est, mihi tamen grata est.* Eodemque sensu dicit Charidemus ad Darium. *l. 3. c. 2.* apud Curtium: *Verum & tu forsàn audire nolis, & ego, nisi nunc dixerò alias nequicquam consistebor.* Quin ipse Historicus eodem loco Darium *veritatis impatientem* vocat. Hinc Germani: *Wer die Wahrheit geigt, dem schlägt man den Fiedelsbogen um den Kopff.*

§. 29. *Ex n. 4.*

*Si bene barbatum faceret sua barbabeatum,*

*Nullus in hoc circo queat esse beatior birco.*

colliget historicus, barbas imprimis olim promissas aluisse, qui sapientiam affectabant. Pluribusque testimoniis probari id potest. Lacon quidam senex interrogatus, cur barbam gestaret sylvosam, & promissam: *ut intuens, inquit, canos capillos nihil committam illis indignis.* Plutarchus in Laonicis id refert. Exponitque ibi etiam, cur Spartanis Lycurgus injunxerit, ut crines longos barbasque alerent. Sed Philosophos præcipue veteres barbarum studiosos fuisse, ostendi facile potest. Ab Erasmo in Apophthegmatibus commemoratur Demonax cuidam percontanti, quam philosophiæ sectam potissimum amplecteretur, respondisse, quis isti indicasset, ipsum esse philosophum, moxque vehementer ridens secum abiisse; Interrogatusque, quid rideret, *magnopere ridiculum esse, inquit, se alter ex barba judicaret philosophum barbam non habens.* Præfens institutum non pariter prolixitatem. Nihil igitur amplius addo. Videri autem plura possunt in Chiliadibus *f. m. 75.* in proverbio: *Barba tenuis sapientes.*

§. 30. Numerus 52.

*Dum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?*

*Tali namque domo clauditur omnis homo.*

ostendit rationem communissimam, qua post mortem hominum cadavera tractata sunt, sequi, qui terræ inferant sepulchris factis. As-

serit



serit enim autor versus, tali domo, qualis tumulus sit, omnem hominem claudi, scilicet post mortem. Thesis hæc historica facillimo negotio ex inductione gentium confirmari potest. Non negandum quidem est, fuisse nonnullos vel homines, vel gentes, quibus igne potius cadavera defunctorum consumere visum, & statutum est, quam terræ tradere. Et quibus aliæ gentes præterea modis in mortuorum cadavera se gesserint, in iis scriptoribus legi potest, qui ritus sepelientium ex professo tradiderunt. Sed & hi ritus ad sepulchra referendi sunt. Namque qui cadavera cremaverunt, nihilominus sepulchra habuerunt, quod ossa flamma consumptorum colligerent, urnisque inclusa cryptis in terra effosis conderent. Et tractationes mortuorum barbaricæ inter gentes efferatioris extraordinariæ sunt prorsus, & longe rariores, quàm ut communem consuetudinem evertant. Atque terræ etiam ad postremum immittuntur, qui ab animalibus aliis devorati fuerunt. Etsi namque primo à terra arceantur, post corruptionem tamen seu citius seu tardius, sive in cadaveribus devorantium ipsis, sive in aliis rebus, in quas forte commutati fuerunt, eventientem tandem pulvis terraque adeo evadunt.

§. 31. Singuli versus Leonini theses universales sunt, atque ad eò ex inductione plurium factorum, sicque exemplis collectæ atque conclusæ. Occasionem igitur componendis historiis dabunt, quoties ausurus aliquis sit theses ipsas exemplis illustrare. *No. 6.* ostenditur, quod rerum periti ex diuturna experientia facti, omnium præstantissima consilia dare soleant. In historia Rehabeami Salomonis filii ex sacris literis res demonstrata est. Perdidit enim Rehabeam imperium in decem tribus Israeliticis, quòd neglectis seniorum consiliis ad imperitorum suasiones accesserat. *1. Reg. XII. v. 8. seq.* Magnam rerum experientiam habuit Eumenes. *Scribe loco namque cum habuit secum Philippus Rex Macedonum per septem annos, ad quod officium apud Græcos nemo admittitur, nisi honesto loco & fide & industria cognita, quod necesse est, omnium consiliorum eum esse participem. Nep. 1.* ubi etiam plura ad hanc rem conducentia commemorantur. Itaque consilia ejus maximi etiam æstimabantur, & studiose expetebantur. Perdicas, cui Alexander moriens annulum, cumque hoc adco regnum, ut conjiciebatur, tradiderat, hunc sibi adjunxerat magno studio, quod in homine fidem & industriam magnam

magnam videbat, non dubitans, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Exque hac causa Leonatus etiam multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. *Nep. 2.* Idem prudentissimum consilium habuit, quum à Perdicea ei parti Asia præfectus, quæ inter Taurum montem jacet, Antipatro & Cratero viris quum claritate tum usu belli præstantibus cum maximo exercitu contra se venientibus copias, quas habebat, inexercitatas & non multò antea contractas ita feliciter objecisset, ut Craterus in pugna caderet, Antipater verò tandem in ea loca deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem peteret. *Nep. 4.* Plura prætereo. *Numero 79.* dicuntur omnium gratissimæ & præcipue in pretio res esse, quæ ex peregrinis locis afferuntur. Illudque assertum & tempora Salomonis confirmant, & ex Romanorum exemplo etiam adstruitur. Salomonis tempora inter alia ideo felicissima prædicantur, quod naves Regis istius mari vectæ cum servis Hiram post elapsos tres annos Hierosolymam attulerint aurum, argentum, ebur, simias & pavones. *2. Paral. IX, v. 21.* Romanorum verò ex peregrinis locis petita delicia sic enumerantur à Gellio *lib. 7. c. 16.* *Pavus e Samo, Phrygia Attagena, grues Melica, badus ex Ambrocia, palamis Chalcedonia, muræna Tarsesia, aselli Pesnuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elaps Rhodius, scari Cilices, nuces Thasia, palma Egyptia, glans Hiberica.*

§. 32. Græcia quidem in seculis barbaris, ex quibus Polyhistor præfens prodit, tota quasi extincta & sepulta fuit. Sed invenies tamen in isto etiam nonnulla literarum istarum vestigia. Nam deprehendimus Græca vocabula. Non desunt græca adagia. Occurrunt græcæ res. Græca vox est *n. 61.*

*Dum mea bursa sonat, hospes mihi secula donat,*

*Dum mea bursa, vacat, hospes tunc ostia monstrat.*

Nam bursa græcum *βόρση* est. Quæ vox eorium seu pellem notat, & pro crumena sumitur per syæcdochen materiæ pro materiato, quia ex corio crumenæ conficiuntur. Adagium Græcum est *n. 18.*

*In vili veste nemo tractatur honeste.*

Id enim dixit Erasmus in Chiliadibus. *f. 481.*

Εἰμα-

Ἐπιμάρτα ἀνὴρ, id est, *Vestis vir*, inquit. Id hodie quoque vulgo tritissimum est. Ajunt enim ad hunc modum: *Vestitus virum red- dit, qui habet, induat.* Idem affirmat Quintilianus libro *Institu- tionum* octavo: *Et cultus, inquit, concessus atque magnificus addit hominibus, ut Græco versus testatum est, auctoritatem.* Hunc autem versus, quem citat Fabius opinor esse illum apud Homerum *Odyss. 6.* ἐν γὰρ τοι τέτων Φάτις ἀνδρῶντες ἀναβάσει ἐοδλή. Et confe- rantur, quæ ulterius ex Homero ab Erasmo excerpta sunt. Res græ- ca est in n. 98.

*Vis ut honoreris, semper canos venereris.*

Expresse enim a Nicolao Cragio *lib. 3. de Rep. Lacedæmoniorum Tab. 7. Inst. 3. l. 3. p. 159.* & hoc inter instituta Lacedæmoniorum allegatur: *Seniores à junioribus quovis modo honorentur.* Allegatumque hoc institutum mox testimonio Justinii, Stobæi, Plutarchi illustrat. Unde & proverbium manavit: ἐν μόνῃ σπάρτη λυσιτελεῖ γηράσκων. Et indicio est adverbium quondam, non Romanorum solum facta anti- qua, sed simul hanc etiam Lacedæmoniorum legem in mente habuis- se Ovidium, quum scriberet:

*Magna fuit quondam capitis reverentia cani,  
Inque suo pretio ruga senilis erat.*

*lib. 5. Fast. v. 57. 58.* Non negabo quidem, nescivisse poetas, quum versus Leoninos facerent, se Græca scribere, ignorantibusque adeo at- tulisse, & quia casu in Græcas res inciderunt. Sed non tam quæri- mus etiam in Polyhistoræ præsentem, quid ex consilio Poetarum exhi- beatur, quam quid in materia, quam Poetæ tractant, lateat, & inde disci possit.

§ 33. *Literarum germanicarum exempla nonnulla jam supra n. 4. adscripsimus.* Nunc plura adjecturi proverbialia subjungemus, quæ ex germanica loquendi ratione petita sunt. Cujusmodi sunt; *Wer unter den Wölfen ist, muß mit heulen.*

*n. 2. Ulula cum lupis, cum quibus esse cupis.*

*Ein Wort ein Mann.*

*n. 17. Verbum laudatur; si factum tale sequatur.*

*§ n. 40. Verbis non jacta Te, sed facias bona facta.*

*Ende gut alles gut.*

*n. 24. Principium lauda, quod consequitur bona cauda.*

- n. 9. *Laus in fine sonat, virtus in fine coronat.*  
 Wanns Spiel am besten ist, soll man auffhören.  
 n. 45. *Optimus est quando ludus, non ludere mando.*  
 Es ist kein Messer, das schärffer schiert,  
 Als wenn ein Bauer ein Edelmann wird.  
 n. 58. *Paupere dicere nil acrius esse putato.*  
 Wenn ein Bauer viel gebethen wird, wird er stols. vel:  
 Wenn ein Bauer nicht muß,  
 Negt er weder Hand noch Fuß.  
 n. 62. *Rusticus instatur nimium, si sepe rogatur.*  
 Wenn man neyn Künste kan, ist das zehende das Bettel gehen.

n. 68.

*Semper egenus eris, si semper plus Tibi queris,  
 Quum contentus eris, cum dives efficieris.*

Rother Barth, Judas Arth.

- n. 73. *In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

Jung gewohnt, alt gethan.

- n. 7. *Qui non adsuëscit virtuti, dum juvenescit,  
 A vitiiis nescit desistere, quando senescit.*

Thue alles mit Muth, so gereuet dichs nicht nach der That.

- n. 91. *Consilio factum non poenitet esse peractum.*

§. 34. Grammaticum est, quod occurrentes in verbis Leonis latinæ formulæ non tam autoritate, quam analogia Latinæ sunt. Lingua laborat. n. 1. contra analogiam non est, quod nominativus verbum personale finitum præcedit simili numero & persona. Sed ambitigit fortasse non sine causa, an ullus Latinorum Scriptorum ita usurpaverit. Habere solum n. 30. ab analogia toleratur, quod in hac formula verbum activum accusativum patientis regit. Sed quis sine dubitatione asserat, unum ex clarissimis scriptoribus sic scripsisse? Leviter credere n. 31. exemplum est adverbii, quod subjicitur verbo ad explicandam actionis circumstantiam, nempe modum. Sed verrear, an sit ex probatis autoribus, qui sic locutus sit. Ita verba nata post vinum vel idèd, n. 21. repudiari non possunt, quod præpositio post verbo addit suum casum. Non minus salva analogia est, quando n. 68. legitur, quum contentus eris. Nam observatur regula,

regula, qua verbum substantivum sum post se regere nominativum debere asseritur. Nec damnum ex eadem causa formulam. *n. 44.* Luce fit inde gerens. Namque æque ut in præcedenti exemplo verbum fit post se nominativum participii gerens habet. Et participium gerens, casum quoque verbi sui, sicque accusativum regit, quem, quum patientis sit, verbum gerere tanquam activum adsciscit. Sed expectem tamen ante in omnibus exemplis, ut scriptorem nomines, qui ita loquitur, quàm easdem formulas usurpem, si quid componendum sit.

§. 35. Ex Rhetoricis observamus, quod exhibitum in Polyhistore versus latini omnes thema conjunctum infinitum continent. In sunt enim omnibus quæstiones sine circumstantiis, *n. 1.* An cum fructu verba ad Deum fundat, qui sine pectoris devotione precatur. *n. 2.* An vita aulica periculosa sit? *n. 3.* An cum lupis ululandum sit, cum quibus vivere placet, & sic in cæteris omnibus? Per se itaque patet, si oratio conscribenda sit de thematicis præsentibus, in genere didascalico oratorem versaturum esse. Sed paucis tamen mutatis, si circumstantias adjicias, facile etiam fiat, ut in cæteris causarum generibus qui orator esse velit, occupatus esse possit. Exemplum sic generis demonstrativi exhibueris, si tempore captivitatis Babilonica inter multa pericula servatum in aula regia Daniele laudare velis, ex occasione *n. 2.* Et ex *n. 1.* in genere deliberativo autor erit auditoribus orator sacer certæ Ecclesiæ, ut cultum Deo inter poenitentia Septembris hujus anni sacra præstituri, non ore tantum, sed ex intimis etiam pectoris recessibus preces ad Deum mittant, & sic porro.

§. 36. Ocasio etiam est discendi argumenta. *Numero 4.* asseritur, quod barba sapientem & felicem non faciat. Sed non sine λόγῳ tamen aliquo assertum profertur. Probat enim exinde, quod, si sic judicetur, hirci æque etiam sapientes & felices venditari possint. Et *n. 10.* negatur, cæcus cæcum commodè ducere ex λόγῳ a pernicioso petito, quod, si fiat, uterque in foveam delapsurus sit. Et *n. 93.* λόγῳ inartificialis ab autoritate petitus invenitur: Sic dicunt gentes, sequitur mala fama nocentes. Ἡθῆν habere credo versus, in quibus vocabulum fili in vocandi casu adjunctum est. Ideò enim id facit poeta, ut benevolentiam erga auditores declarat. Quod & Apo-

Apo-

Apostolum Johannem in sacris præcipue fecisse, meminimus. Estque benevolentia hoc testator, quando Superlativus charissimus ad nomen filii accedit. *n. 9. 15.* Sed & *n. 38.* modus traditur, quo affectus iræ sedari possit. Desinet enim favire, si responsio suavis detur. Hæc enim mitigat offensionem, facitque, ut injuriam, quam sibi factam esse persuasus fuit iratus, tantam porro non esse opinetur, quanta ab initio existimata est. Et *n. 76.* tollitur gaudium exinde, quod bona præsentia non adeo magna vel ob hanc causam putanda sunt, quod gaudia mox dolor iterum excipit.

§. 37. Et vix quidem credas, partes orationis in Polyhistore deprehendi posse. Et largior etiam, in uno versu id non fieri. Sed nihil tamen impedimento est, quo minus in pluribus versibus contingere id posse existimem. Nempe  $\text{ἡ}$  in voce filii existens exordii loco est. Sententiæ ipsæ in versibus positæ vocari possunt existuntque propositiones. *Ἀγοι* versibus accedentes confirmationis exempla sunt. Et epilogum cogita, quando affectum aliquem tolli posse per versus nostros observatum à nobis in §. proxime præcedente notabis.

§. 38. Atque intelligitur quidem & ex iis, quæ hinc & inde jam annotata sunt, & ex consideratione versuum leonicorum ipsorum, multa adesse vocabula & barbara & aliarum linguarum, quæ puritatem orationis non parum inquinant. Sed de dignitate tamen, quæ in tropis & Schematibus consistit, paulo mitius judicandum est. Metaphora sane latinissima est, quando verbum inflari pro superbum fieri, sumitur. *n. 62.* utpote quæ ab autoribus clarissimis adhibetur. Pari tropo sordere de doctrina dicitur, quando non approbatur & non placet *n. 28.* Canos autem pro senibus per metonymiam signi pro signato accipi, persuasum est. *n. 98.* Et bursam per Synecdochen materiæ pro materiato pro erumena usurpari, supra jam animadversum est. *n. 61.* Quin allegoria est. *n. 3.* *Ullula cum lupis, cum quibus esse cupi.* Ex figuris dictionis tot Homæotelevta nominabis, quot versus adscripti sunt. *Ἀσὶ θεῶν* est. *n. 51.* *Vive Deo soli, quod amat caro, quarevere noli.* & *n. 21.* Pleonasmus viderur adhibitus esse *n. 14.* Abundare enim censenda sunt verba, peragendis sive peractis, & *n. 26.* Vox sera namque poterat omitti. Exemplum *παρηχῆσας* est. *n. 45.* Optimus est quando ludus, non ludere mando, in vocibus ludus & ludere.

§. 39. Ex figuris sententiarum probatoriis occupatio possit latere  
*n. 85.* Possit aliquis quippe infirmo animo esse, quod vis parva  
 multa negat. Sed tollitur objectio per id, quod, quisquid vis  
 parva negat, ars compensat. Et simile exemplum est *n. 50.* ubi  
 objicitur, fidem habendam esse, quod fœmina juravit. Sed re-  
 movetur objectio, quod isti errent, qui fœminæ juranti credunt.  
 Figura amplificatoria non una animadvertitur. Plerique versus  
 sententias seu generalia pronunciata complectuntur. Vide nu-  
 merum *1. 2. 3.* & sic porro. Distributio est *n. 14.* Dividuntur enim  
 facta in peragenda & peracta. *Αἰτιολογίας* exemplum est *n. 16.*  
 Causa enim, cur ostia clausa sint, perhibetur prolata veritas. Ea-  
 demque figura occurrit. *n. 65.* Similitudo est *n. 20. 30.* sed cum  
 diversitate. Nam *n. 20.* & *πρότασις* & *ἀπόδοσις* adest. In nu-  
 mero *30.* sola *πρότασις* apparet. Thesis enim illustranda est, inter  
 bona hominum semper simul occurrere tristitia. Hocque illustra-  
 tur duabus similitudinibus, quod fletus sit in risu, & acetum in  
 vino, quarum *πρωτάσις* solæ in versu apparent. Tota enim simi-  
 litudo ita se habere debet. Sicut risus habet fletum & merum a-  
 cetum; ita bonis hominum miscentur tristitia. Antitheton obser-  
 vamus in *n. 53.* Opponitur enim ibi filius ancillæ regis nato, &  
 moratus illi, qui non est morigeratus. Quin vix fallar, si dicam,  
*ἀντιμεταβολήν* inveniri *n. 68.* Elegans enim contrarietas in sen-  
 su est cum verborum inversione, dum dicitur, egenum illum esse,  
 qui semper sibi plus quærat, & eum, qui contentus sit, hoc est,  
 plus sibi non quærat, divitiis affectum iri, hoc est, egenum non  
 esse. Figuras dispositionales frustra quæseris. Sed ex affectu-  
 osis observantur interrogationes nonnullæ *n. 52. 83.* Simulacrum  
*προσωποποιίας* exhibetur *n. 47.* Introducitur enim porta dicere  
 meretrix est janua mortis.

§. 40. Porro diversitas in periodis etiam animadverti pot-  
 est per versus leoninos. Simples enim sunt  
*n. 8.* *Est multum raro pulchra pudica caro.*  
*n. 12.* *Mox erit antiquus curarum semper amicus.*  
*n. 18.* *In vili veste nemo tractatur honeste.*

Compositæ periodi vel ex pluribus commatibus constant, vel ex pluribus colis. Ad eas, quæ pluribus commatibus constant, pertinent:

- n. 25. *Quicquid nix velat, solis calor omne revelat.*  
 n. 39. *Non omnes sancti, qui calcant limina templi.*  
 n. 72. *Est facies testis, quales intrinsecus estis.*

Constantes ex diversis colis sunt vel aperte tales vel occultè. Aperte tales sunt n. 89.

*Si concordemus, satis omnibus est, quod habemus.*

Colon prius enim est, quod habemus, satis omnibus est. Exhibetque iterum duo commata. Prius, quod habemus, alterum, satis est omnibus. Secundum colon est, si concordemus; & n. 47.

*Scribatur portis: Meretrix est janua mortis.*

Occulte tales sunt n. 75.

*Qui non adsuescit virtuti, dum juvenescit,  
 à vitiiis nescit desistere, quando senescit.*

Perinde enim est, ac si dicatur: si non adsuescit quis virtuti, dum juvenescit, à vitiiis nescit desistere, quando senescit: sicque duo cola sunt, in quorum utroque duo etiam commata apparent. Primum colon: est. Si non adsuescit virtuti quis, dum juvenescit, ejus coli prius comma est, virtuti adsuescit, & posterius, dum juvenescit. Alterum colon est: à vitiiis nescit desistere, quando senescit; hicque prius comma, à vitiiis nescit desistere, posterius, quando senescit. Ad occultasque etiam periodos traho n. 65.

*Semper egenus eris, si semper plus Tibi quæris,  
 Quum contentus eris, tum dives efficieris.*

Connexæ enim partes per adverbia similitudinis exemplum periodi dabunt, cujus duo cola duobus semicolonis constant. Et additis quidem similitudinis adverbis ita sonabunt: *Sicut semper egenus eris, si semper plus Tibi quæris, sic tum dives efficieris, quum contentus eris.* Sicque in primo colo, sicut semper egenus eris si semper plus Tibi quæris, unum semicolon est, semper egenus eris, alterum, si semper plus Tibi quæris: & in secundo, sic tum di-

ves



ues efficiaris, quum contentus eris, prius semicolon est tum di-  
ves efficiaris, & posterius, quum contentus eris.

§. 41. Sed fas sit etiam ad postremum iudicare de dicendi  
charactere. Existimo autem formam dicendi humilem versibus  
leoninis assignandam esse, sed ex vitiis hujus characteris & illud  
simul tribuendum, per quod sermo ob nimium neglectum jeju-  
nus redditus est & exsanguis. Duo affirmantur. Unum est, sty-  
lum versus leoninorum referendum esse ad characterem humi-  
lem. Idque inde constare reor, quod dictiones ferme omnes ex  
vulgo petita sunt, & quibus quotidiano sermone in communi vita,  
quicumque locuti sunt, res mente formatas protulerunt. Persuasus se-  
cundo sum, stylum in his versibus occurrentem humilem vitio la-  
borare, quò sermo ob nimium neglectum jejunus factus sit & ex-  
sanguis. Huicque rei argumento est, quod tot novæ & ex pe-  
regrinis linguis in latinam transumptæ voces & formulæ usus-  
pata fuerunt cum aliis scditatibus, quas in §§ prioribus hujus  
commentationis indicavimus. Et vitio etiam verti possit, quod  
stylo humili res proferuntur non abjecta solum & viles, sed gran-  
des etiam, & de rebus divinis & majestibus aularum præcipientes,  
ut & mediocres & ex serinis variarum quum humanitatis,  
tum philosophiæ disciplinarum petita. Sed excusandum id pu-  
to. Notum enim est, Bucolicos etiam poetas res universæ varie-  
tatis & differentia, insuper habito, an parvas, an in mediocrita-  
te constitutas, an sublimitate etiam excellentes res canant, res-  
pectu, non aliis verbis exprimere, quàm quæ cum pastoritia loquen-  
di familiaritate & consuetudine, singularique ita sermocinationis  
humilis & vulgaris genere conveniunt. Habeantque ad eò hoc  
privilegium versus leoninorum consarcinatores, ut liceat ipsis,  
ut in omnes res Bucolici poetæ carmina pastoritiis verbis specia-  
tim componunt, ita omnes quoque res, desumptis ex omni in  
universum vilitate verbis & formulis, metris, quæ sectanda cen-  
sent, tradere & comprehendere.

§. 42. Ad annotationes logicas progredimur. Hicque da-  
bimus

bimus nonnulla, quæ ad terminos pertinent, quædam, quæ in propositionibus consideranda, rursusque alia, quæ ad Syllogismos referenda. Et subjungemus fortassis etiam unum atque alterum, quod in parte ratiocinantis facultatis speciali discitur.

§. 43. Primum terminus finitus est *n. 45.* ludus, infinitus vero non ludere. Duo termini abstracti sunt, virtus & vitium. Et *n. 76.* duo termini concreti, gaudebis & flebis. Terminus concretus est etiam in versu primo. *n. 4-*

*Si bene barbatum faciat sua barba beatum.*

Atque in iisdem vocibus barbato nempe & barba denominatio etiam est intrinseca. Forma denominans enim habere barbam est in subiecto denominato, Philosopho nempe promissam barbam alente. Derisio vero, cujus mentio fit *n. 19.* sistit exemplum denominationis extrinseca. Hæc enim ut forma denominans non est in homine deriso, sed in persona, quæ non persona derisa est, deridente. Univoca dixerim, quando juxta *n. 16.* vox affectus de gaudio & tristitia seu fletu dicitur, quorum unus alteri semper succedere asseritur. Et *n. 90.* negatur confessio sera vera esse. Sicque capi potest, confessionem, quando de vera & simulata dicitur, vocem æquivocam constituere, quod veræ quidem definitio confessionis conveniat, non vero simulatæ. Quin æquivocum habemus sic non casu, sed consilio factum, quia similitudo afferri potest, qua confessio simulata cum vera congruit, quia scilicet quoad ea, quæ in sensus externos incurrunt, non distincta videntur esse a penitentia vera.

§. 44. Quoniam, uti supra monebamus, in versibus his non nisi quæstiones infinitæ occurrunt, quæ circumstantiis destituuntur, facile colligitur, vix individuum seu terminum singularem nominari posse, qui in iis videatur. Et Deus, qui *n. 24.* dicitur præponi debere humanæ rationi individuum proprie dictum appellari non potest, quod ita singularis constitutionis est, ut in eo non sint, quæ in communibus individuis deprehenduntur, quandoquidem ita DEUS unus est, ut tres  
simu

simul dentur. Ex terminis vero prædicabilibus lupus & hircus species sunt. *n. 3. & 4.* herba genus *n. 21.* Possit ululare, quando de lupi dicitur, proprium quarti modi constituit. *n. 3.* Tractari honeste est accidens *n. 18.* item in foveam incidere *n. 9.* Et utrumque quidem exemplum ad separabilia accidentia referendum est. Pro inseparabili vero non injuria habetur, quod testa inveterata sapit, quod recens cepit. *n. 11.*

§. 45. Propter nobilitatem prædicamenta transcendit Deus, de quo paulo ante ex *n. 14.* dictum est. Amor autem, quatenus de vero & simulato sumitur *n. 81.* ut æquivocum excluditur propter ignobilitatem. Directe sunt in prædicamento dolor ex *n. 87.* reductivè barba & cauda tanquam partes substantiarum, *n. 4. & 24.* ut & concreta accidentalia vestes *n. 18.* in quarta specie qualitatis, & annofus *n. 100.* in quantitate discreta. Involvit enim numerum. Et directe quidem sunt in prædicamento substantia homo *n. 88.* flos *n. 84.* Exemplum quantitatis continuæ successivæ est. *n. 66.* Stare diu nescit, quod non aliquando quiescit. Utrumque enim adverbium & diu & aliquando temporis notationem habet. Eadem res & in aliis numeris observari potest. Sed præcipuè huc referam *n. 7.* ubi de beneficentia agitur, quæ vel grata vel ingrata est, prout cito vel tarde mænera expendit.

§. 46. In qualitatis prima specie est virtus & ars, de quibus *n. 67. 70. 75. 85. 95.* In specie secunda collocandæ egregiæ vires, quas compensare scribitur ars. *n. 85.* Hocque intuitu caro etiam amare scribitur, quæ quærenda non sunt. *n. 51.* Hocque quoque loco collocanda sunt medicamina, quæ in hortis proveniunt *n. 49.* ut & ingenio plenus. *n. 99.* In tertia qualitatis specie ad objecta sensus pertinent & quidem tactus calor *n. 25.* durities *n. 2.* & ad sensum auditus sonus, cujus meminimus ex *n. 61. 95.* & ad sensum olfactus, odor molestus *n. 28.* & ad sensum gustus tandem sapor *n. 11.* & dulcedo *n. 71. 79.* Ex affectibus vero nominantur pudor *n. 6.* dolor *n. 19. n. 84.* ira *n. 38. 42.* gloriæ cupiditas *n. 43.* lætitia & tristitia *n. 76.* amor *n. 81. 84.* poenitentia *n. 91.*

§. 47. In relatione agitur de imperio & servitute, quorum mentio fit. *n. 41. & n. 77.* Huc etiam refero filios, quo nomine compellantur lectores *n. 9. & 15.* Et confer etiam *n. 50.* Quando cor orare

*n. 7.* legitur, actionem mente concipis immanentem. Laboratio vero linguæ exemplum est actionis transeuntis. Qua nos coronari sinimus, passio perfectiva est. *n. 6.* Non honeste vero tractari tendit ad corruptionem *n. 18.* In similiq[ue] sorte est, qui decipitur *n. 31.* Egenum futurum esse, & divitem effectum iri, quia tempus futurum involvit, in prædicamento quando locabitur, *n. 68.* Intrinsecus esse ad prædicamentum ubi referendum est, *ex n. 72.* Utque in situ est, dorsum venter *n. 82.* ut &, qui stat, & qui quiescit *n. 60.* sic habitus meminimus, quando *n. 18.* legitur, quod in vili veste nemo honeste tractetur, iterumque, quando coronationis mentio fit *n. 6. & n. 95.*

§. 48. Ex affectionibus terminorum pauca de comparatione eorum proferimus. Primò differunt ut excedentes & excessi bursa & vacat, *n. 61.* Neuter enim de altero universaliter vel affirmari vel negari potest, sed tantum particulariter. Non possum enim salvâ veritate dicere. N. bursa vacat. & N. vacans est bursa. Neque etiam O. bursa vacat, aut O. vacans est bursa. Recte tamen: quædam bursa vacat. Et Q. vacans est bursa, & iterum: Q. bursa non vacat, & Q. vacans non est bursa. Pro magis & minus communibus habeo cura plenum esse, & velle, ut gloria obtineatur. *ex n. 33.* Possum enim quidem dicere: O. qui gloriam appetit, est cura plenus, sed non vice versa: O. qui cura plenus est, gloriam appetit. Nam & plures res, quam gloriam per curas captamus. Vera vero audientur, si sic procedamus. O. qui gloriam appetit, est cura plenus. Ergo Q. qui cura plenus est, gloriam appetit. Sicque etiam judicandum est de eo: Cui mens stulta est, pro paucis dat multa *n. 78.* Nam verè quidem converto per accidens propositionem hoc modo: Omni, qui pro paucis vult dare multa, mens est stulta. E. quidam, cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa. Non vero simpliciter ita: O. qui pro paucis vult dare multa, ei mens est stulta. E. O. cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa. Nam plura dantur stultorum genera, quam qui multo pretio pauca sibi per emptionem comparant. Par terminorum vix indagari poterit ex barbaria nostra, quod pro perfectè reciprocabili jactari possit. Sed non dubito tamen huc referre *ex n. 23.* audire doctrinam & velle vitare ruinam. Nihil enim impedimento est, quo minus ita procedam: O. qui audit doctrinam, vult vitare ruinam. Et, O. qui vult vitare ruinam, audit doctrinam. Hucque etiam  
trax-

traxerim terminos scire prodesse & scire providum esse ex *n. 5*. Verè enim dico: O. qui scit prodesse, scit providus esse. Et verè etiam dico: O. qui scit providus esse, scit etiam prodesse, utilitate nempe, in qua nihil desiderari possit, & quæ pro vera commoditate ex iudicio sapientum haberi debet. Repugnantès termini occurrunt quamplurimi *n. 49*. Vis mortis & medicamen in hortis. Nam N. vis mortis est medicamen in hortis. E. N. medicamen in hortis est vis mortis. Egenus & dives. ex *n. 68*. Procedit enim, si dicam: N. egenus est dives. Procedit etiam, si inferam E. N. dives est egenus.

§. 49. Nullum ex terminorum oppositionibus genus est, cujus exempla non habeam. Privativa est inter cœcum & videntem, occasione *n. 10*. In eodem numero relativè opponuntur ductor atque secutor. Nullusque adeo horum sine altero concipi aut definiri potest. Et hæc relata quidem sunt disquiparantiæ. Ex relatis verò æquiparantiæ sunt socius & socius ex *n. 9*. Nam & socius esse non potest, nisi ad alterum socium referatur. Et duo socii ejusdem etiam nominis sunt & dignitatis. Contrarie opposita sunt gaudium & tristitia seu fletus. Ostenditur enim *n. 76*. quod tristitia & lætitia simul in eodem subjecto esse non possint. Implicita contradictio est ex *n. 30*. risus, fletus, & nectar aceto corruptum. Æque enim valent hæc duo, ac contradictiones hæc explicitæ duæ, risus, non risus, & nectar, non nectar.

§. 50. Propositiones tot sunt in Polyhistore, quot versus fermè exhibentur. Et sunt nonnullæ, quæ ita occurrunt, ut statim & subjectum & prædicatum intelligatur. *Iratus rerum nescit discernere verum*. Subjectum enim est iratus. Prædicatum rerum discernere verum. *n. 42*. *Qui male lucratur, male perdit & annihilatur*. *n. 46*. Subjectum enim est, qui male lucratur, & prædicatum, male perdit & annihilatur. Præter has occurrunt inordinatæ, & quarum subjecta & prædicata suo loco non ponuntur. Talisq; est *n. 39*. *Non omnes sancti, qui calcant limina templi*. Ita namq; exhiberi debet. Non omnes, qui calcant limina templi, sunt sancti. & *n. 27*. *Quod male mentitur, audita loquens reperitur*. Sic enim ordinata propositio est: Audita loquens reperitur, quod malè mentitur. Atque hæc quidem propositiones pro enuntiantibus haberi debent. Sed sunt etiam non enuntiantes, quæ proinde in enuntiantes mutari debent. Hucque pertinent

nent imperantes *n. 3.* *Ulula cum lupis, cum quibus esse cupis.* Fit autem enuntians, si sic procedat: *Qui cum lupis esse cupit, debet ululare cum istis.* Ita etiam contingit *n. 15.* *Verbosi lites, filii charissime, vites.* Ita enim mutari debet. *Qui sapientibus placet, vitat verbosi lites.* Iterum *n. 20.* *Qui se non noscat, vicini iurgia possit.* Ita enim mutata enuntians est: *Qui se non novit, potest vicini iurgia.* Item *n. 98.* Perinde enim est, ac si Poeta dicat: *Qui canos veneratur, honores accipit, dum sic loquitur: Vis ut honoreris, semper canos venereris.*

§. 51. Sed ad divisiones propositionum veniamus. Et ratione materiae quidem veram puto ex aliis, quae continentur *n. 14.* & *n. 27.* Quarum prior necessaria etiam est, altera contingens videtur. Nam ita est verum, Deum humanae rationi antefendum esse, ut nunquam possit fieri falsum. Et verum quidem est, divitiarum possessionem periculosam esse salutem. Sed fieri tamen etiam potest, ut perniciose non sit, ut in Patriarchis, Abrahamo, Isaac & Jacobo, atque in aliis etiam falsa jam deprehensa est. Quam pro impossibili habeam, ex omnibus nullam andeo nominare. Sed possibile tamen iudico, quae traduntur *n. 73.*

*In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

& *n. 88.*

*Cautus homo cavet, quotquot natura notavit.*

Ita enim falsas has esse, existimo, ut tamen etiam possint esse verae, quemadmodum etiam in multis ita fuerunt verae, ut occasionem verbo communi suppeditaverint.

§. 52. Ratione formae inveniuntur primo propositiones simplices, & compositae, seu hypotheticae. Simples haecenus adduximus, quibus adiungimus adhuc *n. 97.*

*Quod facis ingrato, certo perit undique fato.*

Compositae vero sunt *n. 89.*

*Si concordemus, satis omnibus est, quod habemus.*

Item *n. 22.*

*Si cupies pacem, linguam compece loquacem.*

Ratione qualitatis propositio est vel affirmativa, vel negativa. Affirmativa est *n. 21.*

*Qui leviter credit, deceptus saepe recedit.*

Ne-

Negativa verò n. 34.

*Gratia magnatum nescit habere statum.*

Pleræque propositiones sine signis habentur, proque indefinitis idcirco, si de qualitate quaeramus, accipiendæ sunt; proque universalibus aded vel particularibus venditandæ sunt, ut materia substrata vel universalem, vel particularem admittit. Sed sunt tamen etiam, quæ manifestè universales sunt, sive in affirmatione n. 44.

*Res bene quisque gerens, lucra fit inde gerens,*

*& n. 46.*

*Qui malè lucratur, malè perdit & annihilatur,*

*sive in negationibus n. 86.*

*Nunquam stat clarus, nec tutus dives avarus.*

Paulo enim ex confusiore statu in ordinatiorem redacta ita sonat propositio: Nullus dives avarus stat clarus nec tutus. Particularis expressè negativa est n. 39. *Non omnes sancti, qui calcant limina templi,* id est, quidam qui calcant limina templi, non sunt sancti. Indefinita æquipollens universali est n. 90. Confessio, quæ nimis sera, non est vera. Indefinita idem valens ac particularis, est n. 100. quidam abstinens sæpè cibus est annosior. Ille sensus enim debet versus esse, si ex rei veritate consideretur:

*Parcito sæpè cibus, & sic annosior ibis,*

Denique pro singulari nunc quidem, dum accuratior non adest, accipi oportet, quæ continetur & n. 14. & n. 75. hoc modo quoad posteriorem numerum constituendam: Unus Deus potest præstare virtutum munus.

§. 53. Propositio ternaria est n. 73. Animus sine felle non est in ruffa pelle. Binaria verò n. 64. Omnis prudens eligit sibi æqualem sodalem & n. 59. Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit. Finita est n. 44. Res bene quisque gerens lucra fit inde gerens. Infinita vero infiniti subjecti n. 60. qui non aliquando quiescit, stare diu nescit. Et quas hætenus allegavimus, propositiones absolutæ ferme omnes dicendæ sunt. Ex determinatis modalis nulla visa est. Ex exponabilibus verò est exclusiva exclusi subjecti n. 70. Unus (id est solus) Deus potest præstare virtutum munus. Reduplicativa est n. 99. Vir, qua ingenio plenus, viribus extat egenus. Et n. 100. Homo quatenus cibus parcit, an-

H

nosio

r

notior ibit n. 97. Beneficium, qua ingrato factum, certo perit undique fato. Et quam ut exclusivam adhibuimus, stare etiam potest ut exceptiva: Nemo præter deum præstare potest virtutem. Et sic afferri etiam potest alia exceptiva ex n. 84. Qui nova affert, excepto, qui prava recitare vult, properare debet. Quin huc pertineat etiam comparativæ propositiones, siue sint improprie n. 53. Nam versus:

*Filius ancille moratus plus valet ille,*

*Quàm regis natus, qui non est morigeratus,*

ita exponi oportet: Filius ancillæ moratus multum valet, & Filius regis non morigeratus nihil valet; siue propriæ n. 66.

*Vincere cor proprium plus est, quam vincere mundum.*

Nam sic exponi debet hæc comparans: Vincere cor proprium multum est. Vincere mundum multum est. Sed vincere cor proprium præstantius est, quam vincere mundum. Plura prætereo.

§. 54. Ex compositis propositionibus videmus conditionales duas n. 68. priorem.

*S; semper plus Tibi queris, semper egenus eris.*

& posteriorem: *Si contentus eris, tum dives efficieris.*

Disiunctiva nulla expresse adest in Leoninis. Sed in translatione n. 3. per talem expressimus:

*Aut nil timendum, nilque seruum queis magis,*

*A Te luporum pellito commercia,*

*Aut mixtus istis sorte sic data choris,*

*Queis hi sonabunt, edito simul modos.*

Sed & nullo negotio fiat, si & alios verius ita interpretari velimus. Numerum 3. namque cur non sic vertam?

*Aut chara multum cura virtus serveat,*

*Primo iuventa firma donec robore;*

*Aut non recedet sedâ fama criminis,*

*Dum lassus abdit cana torpor tempora.*

In copulativis unum subiectum & duo prædicata exhibentur n. 2.

*Vita palatina dura est, animeque ruina.*

Diversa subiecta & diversa prædicata videntur n. 30.

*Risus habet stertum, nec tæque molestat acetum,*

Idem conringit n. 25.



§. 55. Habemus vestigia porro affectionum, quæ propositionibus accidunt. Subordinatas dixeris, *ex n. 44.* Si propositionem ita universalem tradas:

Quicumque res benegerit, lucra inde gerit,  
& subjungas particularem:

Quidam, qui res bene gerit, lucra inde gerit.

Sicque in *n. 42.* etiam procedere possumus:

N. Iratus novit rerum discernere verum.

Q. Iratus non novit rerum discernere verum.

Oppositiones occulte traduntur *n. 7.*

Gratia debetur pro munere, si cito detur,

Et si tardetur, ingratum munus habetur.

Contraria quippe est, si propositiones ita ponas:

O. munus cito datum gratum est.

N. munus cito datum gratum est.

Subcontraria:

Q. munus tardè datum, ingratum est.

Q. munus tarde datum non ingratum est.

Contradictoria:

O. munus cito datum gratum est.

Q. munus cito datum non gratum est.

vel

N. munus tarde datum gratum est.

Q. munus tarde datum gratum est.

Particularem negativam Q. qui calcant limina templi, non sunt sancti, per æquipollentiam sicredit *n. 39.* *Non omnes, qui calcant limina templi, sunt sancti.* Et universalis affirmativa: O. eruditus est laudis appetens, traditur simili ratione per nullus non *n. 43.* N. gnarus non est laudis avarus. Convertens in conversione per contrapositionem propositionis universalis affirmativæ accipienda est, quæ continetur *n. 60.* Idem enim valebit: Quicumque non aliquando quiescit, stare diu nescit, ac hæc. Omnis qui diu stat, aliquando quiescit. Idem fit *n. 75.* Vera enim est, & hæc: qui non adsuevit virtuti, dum juvenescit, à vitiis nescit desistere, quando senescit, & ista: O. qui à vitiis desistit, quando senescit, virtuti adsuevit, dum juvenescit.

§. 56. Argumentatio perfecta, quæ tribus propositionibus constat, in versibus præsentibus nulla est. Sed facile tamen formari possunt syllogismi tam categorici, quam hypothetici, si termini, qui in sententiis velut propositionibus majoribus passim reperiuntur, bis repetantur in nova & post assumptum terminum minorem novum, propositione minore, & conclusione. Ex n. 37. formo Syllogismum in barbara primæ figuræ: Qui leviter credit deceptus sæpe recedit. Q. à meretrice se patitur seduci, leviter credit. E. qui à meretrice se patitur seduci, deceptus sæpe recedit. Et ex n. 42. in Festino secundæ figuræ: N. iratus rerum potest discernere verum. Q. Judex rerum potest discernere verum. E. Q. judex non est iratus. Et ex n. 46. in Dativo tertiæ figuræ. O, qui male lucratur, perdit & annihilatur. Q. qui male lucratur est Rex. E. Q. Rex perdit & annihilatur. Syllogismum assumptivum formare poteris ex n. 84. *Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.* Atqui flores innumeri sunt in campo. E. Innumeri dolores sunt etiam in amore. Syllogismus conditionalis nascitur ex n. 87. Si concordemus, satis omnibus est, quod habemus. Sed concordamus. E. satis est, quod habemus. Vel etiam: Sed non satis est, quod habemus. E. non concordamus. Syllogismus disjunctivus formabitur ex n. 4. hoc modo: Aut beatum sua barba non facit barbaturum, aut hircus etiam est beatus. Atque hircus non est beatus. E. Barbaturum sua barba non facit beatum. Imo & argumentationes imperfectæ occurrunt. N. 28. habemus enthymema, si ita, proferas. Tua culpa te remordet. E. tuum dogma sordet. Deest autem major propositio, quæ sic potest formari: Quem culpa sua remordet; illius dogma sordet. Idem sit n. 10. Nam in hoc sequens enthymema est: Ille cæcus cæcum conatur ducere secum E. in foveam cadit cum sequutore. Addi autem debet hæc major: quicumque cæcus cæcum conatur ducere secum, ille in foveam cadit cum sequutore. Inductionem denique suppediet n. 20. hac ratione: In factis peragendis debet proponi Deus humanæ rationi. In factis peractis proponi debet Deus humanæ rationi E. In omnibus factis debet proponi Deus humanæ rationi.

§. 57. Circa materiam Syllogisticam notamus, omnes ferme syllogismos, qui ex versibus leoninis surgunt, ad Topicos referendos esse, quia ex propositionibus formantur, quæ ex iudicio in communi vita existentium pro veris habentur. Sed non fallar tamen forte etiam, si quædam ad demonstrationum conditionem paulo propius accedere credam. Fortaque talis est, qui ex n. 5. sic dabitur: O. providus prodest. O. Qui Deo fidit, est providus. E. Omnis, qui Deo fidit, prodest.

§. 58. Ex Physicis afferemus partim exempla rerum, quæ tam in parte generali, quam speciali considerantur, partim unam atque alteram quæstionem singularem cum decisione, quæ in versibus leoninis data est.

§. 59. Ex parte generali inter causas finales est salus inprimis hominum, in quorum usus proveniunt & animalia & vegetabilia. Hunc in finem nascuntur enim post imbrem herbae. n. 21. Atque etiam in gloriam Dei tendit tota natura. Hinc legimus n. 92. quod omnis in orbe locus ferat deitatis opus. Causa efficiens est operatio cæli. Nascuntur inde post imbrem ex cælo descendentem herbae n. 21. Et de Dei affectionibus in rebus naturalibus occurrentibus exaudiri etiam potest suo modo n. 70. virtutum munus præstare posse Deum unum. Confer. n. 14.

§. 60. Ex affectionibus corporis naturalis mentio fit temporis n. 56. & 100. & loci n. 79. Distinguitur enim in propinquum & remotum, & n. 92. Motus omnes species nominantur. Datur generatio n. 53. & corruptio n. 30. & 59. diminutio n. 12. augmentatio n. 87. alteratio n. 75. 76. motus localis n. 82. 29. Quin quietis etiam mentio est. n. 60.

§. 61. Omnia corpora naturalia complexe memorantur n. 66. dum mundus nominatur. Ad cælum referendum est, n. 25. & ex elementis ad terram spectant n. 10. 52. & 84. & ad ignem n. 87. Inter corpora imperfecta mixta seu meteora stant nix n. 25. & imber seu pluvia n. 27. Inter corpora perfecte mixta inanimata mentio fit sive aperte sive implicite metallorum & lapidum simul n. 22. in divitiis & n. 44. & 46. in lucris; lapidum & mineralium simul in templis, quæ ex lapidibus & calce exstruuntur; metallorum in divitiis & paupertate n. 57. 58. 59. 61. 68. 86. Et ferrum

etiam affertur *n.* 16. & 29. Ex vegetantibus occurrunt herbae *n.* 71. horti *n.* 49. vinum *n.* 74. flores *n.* 84. ligna *n.* 87. arbores *n.* 96. Ex regno animali adsunt species animalium ratione carentium lupi ululantes *n.* 3. & hirci barbati *n.* 4. & rationales, homines cauti, & loquentes & beati *n.* 88. 32. 37.

§. 62. De sensibus & affectibus quaedam occupavimus §. 21. Non opus igitur, cur hic repetamus. Partes autem corporae sunt propriae vel animalibus ratione destitutis, ut cauda *n.* 42. vel homini, ut lingua orans *n.* 1. verbosa *n.* 15. loquens *n.* 32. manus. *n.* 63. facies erecta *n.* 72. vel ratione tam praeditis, quam carentibus communes, sicque vel omnibus aut plerisque, ut cor *n.* 1. caro *n.* 8. & pelles *n.* 73. vel nonnullis tantum, ut barba *n.* 4. canini *n.* 98. In corpore animalium omnium consideranda etiam sunt pulchritudo *n.* 8. sanitas. *n.* 63. vires *n.* 49. 52. 82. somnia *n.* 65. sexus *n.* 50. juvenus & senectus. *n.* 75. & 109. Status rerum naturae vel conveniens, vel aberrans, sive ab intentione naturae recedens. Ad aberrantem pertinent ceci *n.* 10. & insigniti, seu qui aliquo vitio corporis laborant, ut gibbere claudicatione & similibus *n.* 88.

§. 63. Homo speciatim habet animam rationalem & corpus *n.* 71. & 73. Atque in anima considerandus est & intellectus & voluntas. In intellectu est doctrina *n.* 23. consilium *n.* 26. notitia sui ipsius *n.* 20. Voluntas vero dividitur in irascibilem, qua nolimus & fugimus mala, & concupiscibilem, qua appetimus bona. Actus voluntatis concupiscibilis sunt cupere pacem *n.* 32. velle, ut glorificeris *n.* 33. velle prava recitare *n.* 54. cupere sanum esse *n.* 63. semper plus querere *n.* 68. dulcia querere *n.* 71. velle, ut honoreris *n.* 95. Ad irascibilem vero appetitum spectat velle vitare, id est, nolle & fugere, ruinam *n.* 20. Et referri ad concupiscibilem appetitum quoque potest, quod nonnulli sunt, qui pro paucis volunt dare multa *n.* 69. Quanquam enim malum appetunt, conceperunt tamen tanquam bonum. Et considerandum praeterea in hoc exemplo est, quod voluntas agit non recte informata. Dicitur enim ille tantum pro paucis dare multa, cui mens sit stulta.

§. 64. Ex quaestionibus de rebus naturalibus speciatim decisus noto sequentes:

I. An

I. An in ornamentis, quæ natura corporibus addit, solis felicitas consistat? Neg. n. 4.

*Si bene barbatum faceret sua barba beatum,  
Nullus in hoc circo queat esse beator birco.*

II. An pulchritudo corporis pudicitia violanda occasionem præbeat? Aff. per n. 8.

*Est multum raro pulchra pudica care.*

Sed limitationem tamen simul adjecta adverbia multum & raro addunt, partim non in omnibus subjectis id contingere, partim non per se id fieri, sed per accidens.

III. An nimia curæ & sollicitudines vires corporis humani præcipue debilitent & infringant. Aff. per n. 12.

*Mox erit antiquis curarum semper amicus.*

IV. An post assumptum largius vinum liogva hominum ad facienda verba fiat promptior & excitator? Aff. per n. 21.

*Post vinum verbum, post imbrem nascitur herba.*

& ex n. 74.

*Qui bona vina bibunt, vates bona carmina scribunt.*

V. An ira modumque excedentes alii affectus iudicium mentis impedian? Aff. per n. 42.

*Iraius rerum nescit discernere verum.*

VI. An foemina imbecilliores sint ad operationes non solum corporis sed & animi? Aff. per n. 50.

*Fœmina quum jurat, errat, qui credere curat.*

VII. An quies vires amissas reparat, stabilitatemque adeo conciliat? Aff. per n. 60.

*Stare diu nescit, quod non aliquando quiescit.*

VIII. An somniis, quando futura prædicunt, attendendum sit? Neg. per n. 65.

*Somnia ne cures. Nam fallunt plurima plures.*

Sed cum distinctione tamen negatio facta est. Nam dicit, in plurimis & pluribus tantum id contingere. Concedit igitur, in nonnullis significationem prorsus negandam non esse, licet significatione somnia ista pauciora sint, raroque eveniant.

IX. An ex lineamentis faciei mores & facta hominis cognosci & intelligi possint, seu an detur Physiognomia? Aff. per n. 72.

*Est*

*Est facies testis, quales intrinsecus estis.*

X. An qui ruffo colore & crine sunt, vitiis multis ante alios laborant? Aff. per n. 73.

*In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

XI. An qui imbecillo corpore nascuntur, viribus ingenii ante alios excellant? Aff. per n. 85.

*Ars compensavit, quod vis tibi parva negavit.*

& per n. 99.

*Ingenio plenus vir viribus extat egenus.*

XII. An insigniti, seu qui corporis vitio per naturam aberrationem notati sunt, deteriores sint ratione morum, quam quibus membra per omnia recta competunt. Aff. per n. 88.

*Cavus homo cavus, quotquot natura noxavit.*

S. 65. In doctrina de affectionibus entis simplicibus notari potest distinctio ex Metaphysicis inter bonum verum & apparens, quando n. 39. non omnes sancti perhibentur, qui calcant limina templi. Ita enim haud obscure innuitur, esse quidem nonnullos, qui sancti velint videri, quod limina templi calcant, revera tamen sancti non sint. Eadem distinctio continetur etiam n. 40. Sunt enim alii, qui se bonos tantum verbis jactant, hoc est, apparenter boni sunt. Sunt vero etiam, qui boni sunt factis, hoc est rei veritate. Inter bona alteri ponitur etiam humanum. Hocque dividitur in honestum, jucundum & utile. Boni honesti exempla sunt ex n. 48. boni mores, ex n. 67. & 70. virtus. Bonum jucundum dico ex n. 8. pulchritudinem & ex n. 36. panem memnise comestum; dicitur enim cordis festum, hoc est, res jucunda; & ex n. 79. dulcedinem earum rerum, quae procul afferuntur. Bonum utile est ditescere n. 58, 68, 69, 86. Idem bonum distinguitur etiam in bonum animi corporis & fortunæ. Bonum corporis & animi nominatur simul n. 99. Ingenio enim valere ad animum, viribus præstantem esse ad corpus referendum est. Bona vero fortunæ sunt gloria n. 33, 95, 96. & divitiæ n. 47-58. Malum aliud est culpæ, aliud poenæ. Utriusque exemplum occurrit n. 28. Malum enim poenæ est, quod dogma sordet, malum vero culpæ, quod culpa remordet; ut & n. 59. Malum enim culpæ est, quando quis sua demergit, malum

vero poenæ, quando mendicus ad ostia pergit, nec non *n. 37*. Malum enim culpæ est leviter credere, malum vero poenæ, deceptum recedere.

§. 66. Actus & potentia declarari possunt ex *n. 14*. In factis enim peragendis potentia est, in factis vero peractis actus. Et potentia quidem, quæ sic concipienda est, passiva est, quia aliquid secundum eam pati aliquid potest. Ita actus est in eo, qui sua demergit, potentia vero in eodem, dum paulo post mendicus ad ostia pergere potest. *n. 59*. Potentia crescendi naturalis est, qua ignis perpetuo crescere potest, crescentibus lignis. *n. 87*. Positis enim omnibus ad agendum requisitis non potest non agere. Libera vero, qua fides violari potest. *n. 94*. Positis enim omnibus ad agendum requisitis potest agi & non agi. Potentia naturalis pariter est in umbra, qua tueri nos potest. Libera vero in eo, qui arborem propterea, quod ejus umbra ipsum tuetur, honorat. Principia essentialia sunt in *n. 71*. Spiritus enim est forma hominis & corpus materia. Principium vero cognoscendi traditur *n. 93*. Inde enim discimus, quod mala fama nocentes sequatur, quod id commune verbum est, gentesque sic dicunt.

§. 67. Ex doctrina de causis sequentia proferemus exempla. Causa universalis Deus est, quia universaliter ad omnes effectus concurrat. Recte proinde *n. 92*. scribitur:

*Omnis in orbe locus fert deitatis opus.*

Rex vero sive ancilla, dum filios gignunt, sunt causæ particulares, quia particulariter ad certum tantum effectum concurrunt. De qua re videatur *n. 53*. Iidem parentes causæ sunt veræ generatorum filiorum. Adjectio vero lignorum producti majoris ignis est causa sine qua non. Non enim adjectio novorum lignorum facit ignem majorem, sed ipsum lignum. Interim lignum ignem augere non potest, nisi adjiciatur. Indeque adjectio ligni ab imperitis habetur pro causa. Vid. *n. 89*.

*Perpetuo lignis crescit crescentibus ignis.*

§. 68. In materia consideranda est materia ex qua, circa quam & in qua. Exemplum materiæ circa quam seu objecti sunt lupi, quando ululare cum iis, si inter eos verseris, te jubent, *n. 9*. Item coccus, si ab eo ducatur *n. 10*. Testa vero est materia in qua, sive sub-

ctum ejus, quod capit. *n. 11.* Bursa etiam est subjectum sonantis numeri. *n. 61.* & mensa ferculorum, quæ in illa apponuntur *n. 57.* Corpus est materia ex qua hominis. Unde *n. 71.* distinguitur homo in Spiritum & corpus & iterum, licet paulo obscurius *n. 99.*

*Ingenio plenus vir viribus extat egenus.*

Ingenium enim ad animum, sed vires ad corpus spectant. Estque etiam materia sensibilis, quod sensibus capi potest. Quin & transiens. Nam ex terra factum est carneum & osseum corpus humanum. Eædem causæ forma nempe & materia exhibentur etiam *n. 73.*

*In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

Ruffa pellis corpus enim designat per Synecdochen partis pro toto.

§. 69. Causa efficiens etiam est pro forma informantem, quia substantialis est, & per unionem physicam cum corpore tanquam materia efficit unum per se. Forma vero assistens est cæcus, quando cæcum ducit, quia unitur quidem cum altero cæco, tanquam objecto, & dirigit motum ejus, sed licet sit substantialis, non efficit tamen unum per se cum illo objecto *n. 10.* Ira irati est forma accidentalis, quia est abstractum alicujus accidentis, quod cum suo subjecto efficit concretum accidentale. Mentio autem fit abstracti *n. 38.*

*Frangitur ira gravis, quum sit responsio suavis.*

Concreti autem *n. 43.*

*Iratus rerum nescit discernere verum.*

§. 70. Causa efficiens prima est Deus, quia ab eo omnia dependent, ipse vero dependet à nullo: Secunda humana ratio, quia à causa prima dependet. Declarari hoc potest ex *n. 14.*

*Omnibus in factis peragendis sive peractis,*

*Debet præponi Deus humana rationi.*

Causa æquivoca est imber, quando producit herbam, quia non est ejusdem speciei infimæ cum suo effectu *n. 21.* Rex vero & ancilla generantes filios sunt causæ univocæ, quia sunt ejusdem speciei infimæ cum suo effectu *n. 53.* Hospes fercula coquens & afferens est causa physica coctorum & oblatorum ferculorum, quod produxit effectum per influxum physicum: qui bursam vero sonantem ostendit causa moralis, quia producit effectum per influxum morale *n. 61.*

§. 71.



§. 71. Finis sumitur vel pro extremo, vel pro causa finali. Ultraque acceptio occurrit n. 25.

*Quicquid nix velat, solis calor omne revelat.*

Nam causa nivis finalis est, ut velet segetes, terminus vero nivis existit, quando solis calore liquescit. Finis est coercitæ linguæ loquacis & pax, & qui cupit pacem. Sed pax est finis cuius, qui cupit pacem, finis cui. Nam pax est forma quædam, cujus efficiendæ gratia agit causa efficiens, seu qui coercet linguam, & qui cupit pacem est subiectum, cui per illam formam inservitur. Vid. n. 32. Hominis, qui pro paucis vult dare multa, finis est acquisitio paucorum istorum, sed finis obtinendus, quia pauca ista sunt res ante jam existentes, quatenus qui multa pro paucis dat, tanquam causa efficiens ea vult obtinere & acquirere sibi, n. 78. Finis umbræ est tueri homines, sed efficiendus, quoniam defensionem istam, quæ nondum actu existat, arbor, tanquam causa efficiens per umbram vult efficere. n. 96.

§. 72. Versus porro leonini dant occasionem notandi quædam ex doctrina Pneumatica. Quando de Deo agitur in disciplina ista, docetur ejus notitia comparari posse etiam per naturam. Eaque notitia etiam est vel insita, vel acquisita. Notitiæ insitæ toties admonemur, quoties Deus, absque explicatione aliqua quidnam sit, nominatur. Indicio enim omissio definitionis est, non opus esse, ut id dicatur, quoniam per naturam constat, esse summum Numen, quod omnia dirigit. Notitia vero acquisita, quæ ex creaturarum considerat e est, expresse exhibetur. n. 92.

*Omnis in orbe locus fert Deitatis opus.*

Reliqui versus, in quibus Dei & divinarum rerum mentio fit, ex sacris quidem literis deprompti omnes videntur,

n. 1. *Dum cor non orat, ne quicquam lingua laborat.*

n. 14. *Omnibus in factis, peragendis sive peractis.*

*Debet præponi Deus humane rationi.*

n. 39. *Non omnes sancti, qui calcant limina templi.*

n. 51. *Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.*

n. 70. *Virtutum munus præstare solet Deus unus.*

Sed multa tamen in iis subindicantur etiam, quæ ex lumine naturæ omnibus hominibus jam innotuerunt.

§. 73. Et docet quidem Polyhistor, quod Deus sit omniscius, quando oratio non placet, si per solam linguam absque cordis operatione peragatur. *n. 7.* Sed arguit etiam natura, Deum omniscientem esse, quod cogitationes quoque suas homo, si contra legem fiant, etiam si nemo hominum illas intelligat, malitiæ alicujus damnat, poenamque idcirco judicis supremi meruisse censet. Discimus ex *n. 39. & 51.* cultum adorationis Deo præstandum esse. Sed quis est inter gentiles etiam, qui non absque Scripturæ lumine inter prima principia juris per naturam innotescens practica primo loco colloquet & istud: Deus colendus. Numen summum est omnipotens, quod *n. 70.* scribitur, virtutum munus Deus unus præstare. Intelligentiæ sunt enim per virtutum munus non solum virtutes morales, sed vel maximè etiam omnes artes, quæ quum per intellectum, tum membra quoque corporea expediuntur. Sed id capimus per naturam etiam exinde, quod nulla creatura tantam efficaciam, multitudinem & varietatem producere potest, quanta in prima creatione à supremo numine productis à se rebus indita est & inserta. Summum ens Deum esse, & quod nullum aliud excellentia attingat, ex *n. 14.* concluditur. Sed abhorret natura etiam ab infinito. Inde tandem judicat, dari ens, quod omnes perfectiones in se contineat, perfectioneque adeò & præstantia omnia vincat, quæ infra se posita animadvertit.

§. 74. Angelorum secundæ spirituum classis Polyhistor non meminit. Sed de anima tamen humana, quod discamus, occurrit. Loca, in quibus ejus mentio fit, sunt sequentia:

*n. 2. Vita Palatina dura est, animeque ruina.*

*n. 52. Dum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?*

*Taliamque domo clauditur omnis homo.*

*n. 71. Spiritus inde perit, dum corpus dulcia querit.*

*n. 73. In rassa pelle vix est animus sine felle.*

*n. 78. Cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa.*

*n. 99. Ingenio plenus, vir viribus extat egenus.*

§. 75. Facile autem ex accuratiore inspectione allegatorum versuum apparebit, tria prædicata, quæ animæ definitio, quatenus in pneumaticis traditur, & quæ sic sonat, *Anima rationalis est spiritus dependens incompletus*, insinuat, Polyhistor

rem

rem nostrum tradere. Sunt autem tria ista prædicata, quod anima sit 1. Spiritus, 2. Spiritus dependens, 3. Spiritus incompletus. Et Spiritus quidem esse discitur, quod expresse non solum hoc nomine corpori opponitur. *n. 71.* verum etiam, partim, quod dum *n. 52.* sepultura hominis mortui memoratur, inde scimus, hominem quoad corpus solum, postquam anima ab eo in morte discessit, terræ inferri; partim, quod mens stulta esse in nonnullis *n. 98.* refertur, perspectumque est, stultitiam in intellectu præcipue existere, quæ facultas non nisi Spiritibus, à materiaque adeo remotis substantiis propria est. Quod dependens anima sit, inde persuaderi oportet, quod vitia & errores in ea contingere, versus affirmant. Audimus quippe, in ea esse ruinam *n. 2.* Spiritum perire *n. 71.* non semper animum esse sine felle, *n. 78.* Mentem nonnullis stultam esse, *n. 78.* Sed independens essentia infinita est, atque adeo perfecta. Vitiisque carere decet, quidquid perfectionis privilegio gaudet. Denique incompletus etiam spiritus est anima. Idque inde patet, quod & in versibus Leoninis non una vice anima & corpus conjunguntur tanquam duæ partes essentielles totum hominem constituentes. Fitque id inprimis *n. 71. n. 73. n. 99.* Nam incompletus Spiritus est, qui per se ordinatus est cum corpore ad constitutionem alterius, hocque adeo loco, hominis.

§. 76. Ad mathematicas disciplinas pertinent, quæ sequuntur. Et occasionem quidem Arithmeticæ declarandæ dabit *n. 45.* Agit enim de lusu. Et in hoc numerari res, perspectum est. Similiter huc pertinent loca, in quibus de vitiis & lucris sermo est. Nam neque divitiæ neque lucra commode sine computatione concipi possunt. Tendunt autem huc. *n. 46. 44. 22. 68.* Fit numeratio, quando emitur. Inde huc traho *n. 78.* Et conferuntur etiam res memoratæ inter se. *n. 84.* Geometricas operationes obijciunt versus, in quibus rerum arte factarum mentio fit. Nam in rebus hujusmodi concipiendis multa debent observari, & exerceri, quæ in Geometria docentur. Quare consideranda sicut mensa structa fereulis ex *n. 57.* bursa ex *n. 61.* vestis ex *n. 18.* horti arte curati ex *n. 49.* fera ex *n. 16.* Geographiæ recorder ex *n. 79.* in quo res commemorari lego, quæ procul, sive ex locis peregrinis afferuntur. Astronomicum est, quando *n. 25.* solaris calor, atque ejus efficacia oculis obijcitur.

Sine Architectura militari intelligi non possunt, *n. 66. & 83.* quoniam bellum & victoria in iis nominatur, qua mundum superamus. Hucque etiam foveæ quadrant, quibus castra & castella præcipuè muniuntur. *n. 10.* Sed Architectura civilis in mentem venit ex omnibus numeris, quibus ædificia, quorum in pace præcipuè usus est, memorantur, ut sunt ostia clausa ferà *n. 16.* limina templi. *n. 39.* janua & porta *n. 47.* & domus *n. 52.* Denique pro chronologico accipio, quod *n. 56.* de damnis dierum profertur. Neque enim hic tam gravis jactura censentur tempora, quæ otiosis transferunt, & in quibus nihil rerum factum est, quam vel maxime mala facta exponuntur, quæ per tempus contigerunt. Nonque erraturus sit, si quis librum, quem conscripturus sit de actionibus malis quovis tempore evenientibus damna dierum, nominatione ex præsentis versu accepta, appellare velit.

S. 77. Venio ad Philosophiam practicam. Ex qua præcepta moralia nullo negotio eo ordine & modo afferre liceat non pauca, qui contra Aristotelicam philosophandi rationem à recentioribus quaritur. Cur non enim officium erga Deum continere dicendus sit *n. 1.* quo rectè Deum non colere perhibetur, qui sola lingua non etiam pectore orare velit. Officium, quod homines sibi ipsi præstare debent, exhibetur *n. 20.* Ruinæ enim se subducere potest, qui doctrinam audit, idest, per legis præcepta ita se duci permittit, ut & bonus sit erga Deum, & in variis artibus ita instruat, ut civili vitæ commodum membrum existat; item, qui juxta *n. 32.* linguam loquacem compefeat, ut pacem habeat, item qui se ipse noscat *n. 20.* Officia humanitatis præstantaliis, qui cæcum secum ducunt, *n. 10.* qui fidi amici sunt, *n. 80.* qui fidele consilium dant, *n. 91.* qui cito munus porrigunt, *n. 7.* De officiis jurantium discimus *n. 50.* & de sermocinantium *n. 32.* Pretium exponitur per adjectiva multa & pauca *n. 78.* idque vulgare. Sed eminentis seu pecuniæ vestigia monstrantur in bursa sonante. *n. 61.* Existimationem intensivam deprehendes *n. 18.* Ibi enim dicitur, quod homo in vili veste, licet aliis quoad existimationem simplicem, seu dignitatem civilem æqualis sit, non ita tamen honeste tractetur, quam qui splendore vestium superbiunt.

§. 78. Sed nolumus tamen in præsentia à methodo Peripatetica recedere. Nam novimus, in sæculis barbaris, in versibusque adeo etiam Leoninis nullam etiam philosophiam, nisi Aristotelis, & qui illius scripta interpretati sunt, tractatam esse. Et omnia forte etiam conclusa moralia æque feliciter ita afferri poterunt, ut per docendi rationem recentem fieri videmus. Sed omnia nunc à brevitate studiosis afferri & expediri non possunt. Itaque solum denarium virtutum Aristotelicarum numerum per Polyhistorum nostrum declarabimus.

§. 79. Et vere fortes dicendi sunt quidem, qui mundum, id est, magna & summa imperia in mundo existentia vincunt. n. 66.

*Vincere cor proprium plus est, quam vincere mundum.*

Sed non fortes, sed timidi appellandi sunt, qui magis amori operam dant, quam propellendis hostibus. n. 83.

*Quid mihi cum bellis? servit mea cura puellis.*

§. 80. Mansuetudine excellunt, & qui nihil faciunt, dum ira corripuntur, quod facultate eo statu destituuntur, qua à vero falsum potest discerni. n. 42.

*Iratus rerum nescit discernere verum,*

Et qui poenitente excusatione rerum offendentium se facile ad deponendam indignationem adduci patiuntur. n. 38.

*Frangitur ira gravis, quum sit responso suavis.*

Vitio autem ad excessum in ira tendente seu iracundia inquinantur, qui, quoties ob putatam illatam injuriam inflammantur, vindicare injuriam se posse existimant, si verba injuriosa in lædentem evomant & profundant. n. 20.

*Qui se non noscat, vicini jurgia poscat.*

§. 81. Temperantia versatur, vel circa cibum & potum, vel circa tactum venereum? Circa cibum & potum recte se habent, qui per parcam manum sanitatem conservant. n. 63.

*Esse cupis sanus, sic Tibi parca manus.*

& n. 100.

*Parcito sepe cibus & sic annosior ibis.*

Peccant verò in excessu, qui dum nimis dulcia quærunt, spiritum perdunt. n. 71.

*Spiritus inde perit, dum corpus dulcicia quærit.*

Præ.

Præsentia pudoris. n. 6.

*Jure coronetur, quicumque pudore repletur,*  
& cohibitio pulchritudinis intra pudicitia terminos. n. 8.

*Est multum raro pulchra pudica caro,*  
moderatos in Venere præstant. A bonitate autem absunt omnes,  
quos nimium dolores in amore exnruciant. n. 84.

*Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.*  
& quibus meretrix janua mortis est. n. 47.

*Scribatur portis: Meretrix est janua mortis.*  
§. 82. In pecuniis seu modicis, seu magnis etiam tractan-  
dis mediocris erit, quicumque, quæ facere vult benigne, absque  
omni mora porrigit. n. 7.

*Gratia debetur pro munere, si citò detur,*  
Et qui in adornandis conviviis rationem facultatum suarum in con-  
silio habet. n. 57.

*Pauperis in mensa vires non sercula pensa,*  
& qui videt, ne beneficia perdat, si in ingratum conferat  
n. 97.

*Quod facis ingrato, certo perit undique fano.*  
Idque non quidem, ut gloria gratiarum pro beneficio datarum  
esseramur, sed ne, cui bene facere constitutum est, eum potius  
corrumpamus, quam servemus. Quo nomine & plures versus  
de grata pro beneficiis declaranda mente agunt & n. 36.

*Sit cordis festum, panem meminisse comestum,*  
& n. 96. de honore arbori exhibendo, cujus umbra refocilla-  
mur:

*Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur.*  
Neque operam solum dat liberalis aut magnificus, ut in expenden-  
dis pecuniis rectè versetur, sed ut nihil etiam in modo desideretur,  
quo opes vel accipiuntur, vel possidentur. Et in acquisitione lau-  
dabiles erunt, qui malis artibus opes sibi non congerunt. n. 46.

*Qui male lucratur, male perdit & annihilatur,*  
qui non semper plus quærit, sed præsentibus contentus est. n. 68.

*Semper egenus eris, si semper plus Tibi quæris,*  
*Quum contentus eris, tum dives efficieris.*

qui divitias comparare studet, dum, quæ damnum inferre possunt, cavet. n. 69.

*Hic bene se ditat, qui semper noxia vitat,*

In possessione autem opum laudem merentur, qui, quando opes tenent, insolentia non inflantur. n. 58.

*Paupere ditato nil acrius esse putato,*

& quicum concordia ex opibus præsentibus omnibus necessitati- bus, si qua in civitate vivunt, tolerandis sufficiunt. n. 89.

*Si concordemus, satis omnibus est, quod habemus.*

Sed nec vitia liberalitati opposita tacebimus. Peccant enim in defectu & avari sunt divites avari. n. 86.

*Nunquam stat clarus, nec tutus dives avarus.*

& qui tardi sunt in muneribus dandis n. 7.

*Et si tardetur, ingratum munus habetur.*

Prodigalitatibus autem rei sunt, exceduntque in administrandis pecuniis, qui, dum sua demergunt, ad mendicitatem rediguntur. n. 59.

*Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit:*

& qui pro paucis parandis multa expendunt n. 78.

*Cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa.*

Quin utroque vitio & prodigalitatibus & avaritiæ inveniuntur sunt, qui se in perniciem per divitias præcipitant. Inde enim n. 7. habetur:

*Divitiis uti est res adversa saluti.*

§. 83. Seu modestia, seu magnanimitate effulserint, quos propter bonos mores honoramus n. 48.

*Disce bonos mores, sic Te comitantur honores,*

qui magni sunt, quod alii beneficia exhibuerunt. n. 98.

*Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur,*

& qui etiam in pretio sunt, quod canos venerantur n. 98.

*Vis, ut honoreis, semper canos venereris.*

In virtutem autem eandem impingunt, qui honestè non tractantur, quod vestibus ignobilioribus induuntur, quàm conditio ipsorum exigit. n. 18.

*In vili veste nemo tractatur honeste,*

Qui immoderatis caris ad consequendum plurimum contendunt.  
n. 33.

*Cura plenus eris, si vis, ut glorificeris.*

Imo & in hac aberratione inprimis deprehenduntur eruditi, quod ante alios cupidiore sunt laudis, quam fas est n. 43.

*Nullus in gnarus, qui non sit laudis avarus.*

§. 84. Contra virtutes homileticas in universum peccat nimia loquacitas. Hæc enim a Polyhistoro reprehenditur, quando nimia verbositate lites excitari perhibentur.

*Verbosi lites, fili charissime, vites,*

quando post vinum sumtum nimis facundi evadimus & disertii.  
n. 21.

*Post vinum verba, post imbrem nascitur herba,*

& quando lingua loquax compescenda traditur, ut pacem obtineamus. n. 32.

*Si cupies pacem, linguam compesce loquacem.*

§. 85. Speciatim autem in veritate opus est, ut facta verbis prolatis respondeant.

n. 17. *Verbum laudatur, si factum tale sequatur.*

n. 40. *Verbis non jacta Te sed facias bona facta.*

Et ut, quando de aliis loquendum est, non tam audita proferantur, quam quæ oculis percepta sunt. n. 27.

*Quod male mentitur, audita loquens reperitur.*

& ne properemus res male gestas & calamitates nunciaturi. n. 54.

*Prava recitare si vis, noli properare.*

Parum cautus autem circa hanc virtutem est, qui sic profert verba, ut in odium incurrat audientium. n. 16.

*Ostia clausa fera mibi sunt, quia profero vera.*

§. 86. Scenæ serviendum est, si comitatem habere cupiamus n. 3.

*Ullula cum lupis, cum quibus esse cupis.*

Et commendandus hoc nomine quoque erit, qui socium talem sibi quærit, qualis ipse est n. 9.

*Fili talis eris, qualem, socium tibi quaris.*

Et cæcus etiam a comitate ducitur n. 10.



Plus autem facit, quam comitas admittit, qui rogare multum homines rusticos sustinet. Nam istiusmodi homines per tales compellationes ad insolentiam adducuntur. n. 62.

*Rusticus inflatur nimium, si saepe rogatur.*

§. 87. Ad urbanitatem ultimam virtutum homileticarum refero n. 29. 30. & 45. Urbanus enim est, qui, dum ridet, fletum simul adesse cogitat, & qui in lusu modum tenet, de qua re & n. 30.

*Risus habet fletum, ne Barque molestat acetum,*

& n. 45.

*Optimus est quando ludus, non ludere mando.*

Sed & vitium urbanitati oppositum intelliges ex versibus praesentibus. Nam non ferri potest fortis, quando ludit, si, cum quo ludit, vinciat compe de mortis. n. 29.

*Dum ludit fortis, trudit me compe de mortis.*

§. 88. In iustitia particulari commutativa recte agunt caupones, si non prius fercula apponant accedentibus, quam vident, nummos pro appositis ferculis solutum iri n. 61.

*Dum mea bursa sonat, hospes mihi fercula donat,*

*Dum mea bursa vacat, hospes tunc ostia monstrat.*

Nunquam autem credam, fasere officium in hac re, qui male lucratur, hoc est, cum defraudatione ejus, cum quo negotia habet. n. 48.

*Qui male lucratur, perdit & annihilatur.*

Stultamque ei mentem esse, judicat ipse poeta, qui pro paucis dare velit multa. n. 75.

*Cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa.*

§. 89. Complexus omnium virtutum vocatur iustitia universalis. Hanc indicari igitur in omnibus versibus credo, in quibus praecipitur, ut virtutibus & honestati nos demus. Fitque id adeo

n. 51. *Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.*

n. 66. *Vincere cor proprium, plus est quam vincere mundum.*

n. 67. *Est virtus vere semper malefacta cavere.*

n. 75. *Qui non adjuvavit virtuti, dum juvenescit,*

*A vitiiis nescit desistere, quando senescit.*

n. 93. *Sic dicunt gentes, sequitur mala fama nocentes.*

n. 95. *Laus in fine sonat; virtus in fine coronat.*

§. 90. Ad postremum non molestum forte etiam fuerit, unum atque alterum præceptum legere, quod virtutes intellectuales, sapientiam præcipue & prudentiam declarat. Et sapientiae quidem erunt

n. 1. *Dum cor non orat, nequicquam lingua laborat.*

Et n. 23. *Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.*

Sed prudentiam acquisiveris ex n. 5.

*Nescit prodesse, qui nescit providus esse.*

Et ex n. 91. *Consilio factum non pavitet esse peractum.*

§. 91. Ex politicis sequentia noto I. Cautè in aulis potentium versandum est, ne in perniciam vel animi, vel corporis, vel fortunæ præcipitemur. Ratio est, quia & gratia potentium incerta & in aulis nil nisi invidia, insidia & improbitas regnant.

n. 34.

*Gratia magnatum nescit habere statum:*

n. 2. *Vita palatina dura est, animique ruina.*

II. In faciendis foederibus uniendo moribus consiliis & causa convenire opus est cum unientibus. Ratio ex communi præcepto Philosophiæ practicae desumitur, quod pares cum paribus facillimo negotio congregentur. Quod non tantum de conjunctionis initio capiendum est, sed de exercitio etiam & duratione. Huc respicitur autem,

n. 5. *Fili, talis eris, qualem socium Tibi queris.*

n. 64. *Eligat aequalem prudens sibi quisque sodalem.*

Et ad intelligendum hoc præceptum facit etiam suo modo n. 3.

*Ulula cum lupis, cum quibus esse cupis.*

Nam facile, qui non æque nobiscum honestatis & utilitatis publicæ studiosus est, cum eo consuetudine ad scelerata & perniciosa conata abripit. III. Nihil rerum suscipiendum est sine audito consilio. Idque magis à senioribus, quam junioribus petendum est. Prius probatur ex

n. 23. *Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.*

& n. 91. *Consilio factum non pavitet esse peractum.*

Posterius vero ex n. 26.

Con-

*Consilium verum docet experientia rerum.*

Et consilarii etiam operam dare debent, ut inculpati sint, nec ipsi fecus faciant ac verbis suadent *n. 21.*

*Dogma tuum sordet, si Te tua culpa remordet.*

§. 92. IV. Sine dissimulatione feliciter in rebus publicis gubernandis versari nemo potest. *n. 41.*

*Nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

V. Lupanaria in bene constituta republica toleranda non sunt. Impediunt enim salutem publicam, dum cives & ratione corporis & ratione animi in exitium trahunt, *n. 47.*

*Scribatur portis: Meretrix est janua mortis.*

Nam janua mortis dicitur meretrix non solum, quod morbis ex scortatione contractis homines citius moriuntur, quam fieri alias solet, sed vel maxime etiam, quod peccato obstringuntur Veneri indulgentes, quod ex sacris novimus regno divino, qui faciunt, excludere, vitiososque cives, constat, quia gratia divina destituuntur, pauca, quæ rei communi conducibilia sunt, efficere posse. VI. Leges sumptuariæ ferendæ sunt, & executioni dandæ. Nam ita impediri potest, quo minus quum privati & salutem æternam perdant, & mundana excidant luxuriantes, tum respublica ipsa laborare incipiat, si vel oneri sint nepotes perditii vel insolentius etiam divitiores non ita opimis per luxum suum insultent. Traho ad illustrandum hoc præceptum quoad notationem primam *n. 22.*

*Divitiis uti est res adversa saluti,*

quoad notationem secundam & tertiam, *n. 59.*

*Qui sua demergit mendicus ad ostia pergit,*

Et quoad quartam, *n. 58.*

*Paupere ditato nihil acrius esse putato.*

§. 93. VII. Epitaphia hominibus bene meritis post mortem erecta permissione superiorum magnum civibus ad recta facienda incitamentum sunt. Nam mortalitatis admoniti intuentes gloriam, quam ob facta egregia, qui sic honorati sunt, merentur, ad officia facienda evadunt promptiores. *n. 53.*

*Dum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?*

*Tali namque domo clauditur omnis homo.*

Non concedendum igitur solum est, ut erigantur, sed toleranda etiam, nec committendam, ut vel ex aliis causis, vel ex nimio innovandi omnia studio, vel lucri etiam ex positis in priorum loca novis monumentis capiendi cupiditate aut removeantur prorsus, & tollantur, aut in loca obscura, in quibus spectari & considerari non possunt, transeant, & rejiciantur.

VIII. Nobilitate distinguuntur etiam cives in rebus publicis. Est autem nobilitas duplex vel generis, vel virtutis. Et nobiles virtute γενεῶσι, antepoenendi sunt nobilibus genere, τοῖς ἐυγενέσι. Utrumque discimus ex n. 53.

*Filius ancilla moratus plus valet ille,*

*Quam regis natus, qui non est morigeratus.*

Nempe nobiles genere dicuntur filii regum, quatenus filii ancillarum, hoc est, ignobilibus genere opponuntur. Et nobiles virtute dicuntur morati, quatenus immorigeratis, velut ignobilibus virtute, oppositi sunt. Perspicue autem docet poeta, quod ignobilis genere, sed nobilis virtute præferendus sit nobili genere, si is nobilitatem virtutis non habeat, hoc est, si immorigeratus sit. IX. Fœminarum nimia turba ab exercitu removenda est. Quod si namque non fiat, venereis vineulis constricti milites ad sustinenda pro patria pericula molliores, minusque accommodati redduntur. n. 82.

*Quid mihi cum bellis? Servit mea cura puellis.*

S. 94. Inter oeconomicas præceptiones utile erit, si futurorum casuum cura teneamur. n. 5.

*Nescit prodesse, qui nescit providus esse,*

ut &, si ex calamitatibus domesticis, quæ ex re familiari sunt, discat paterfamilias. n. 13.

*Quæ pro parte nocent, plerima sæpe docent,*

nec non, si quis, quæ faciendæ sunt, recte & diligenter expediat. n. 44.

*Res bene quisque gerens, lucra sit inde gerens,*

nec minus, si mala media in comparandis rebus non usurpentur. n. 46.

*Qui male lucratur, sua perdit & annihilatur,*  
insuper, si opera detur, ut res jam acquisita bene ferventur, parsi-  
moniaque adeo magis & laboribus, quam luxus & voluptatum ap-  
paratibus, desidia ve studeatur. n. 55.

*Prudentum more teneas quaesita labore.*  
Et luxus etiam dissuadetur. n. 59.

*Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit,*  
ut & desidia. n. 56.

*Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum.*

§. 95. In n. 61. docetur, quod a pecunia instructis omnis  
accipiantur, nummis vero destituti nusquam admittantur. Opus  
igitur est patrifamilias, ut opibus abundet. n. 61.

*Dum mea bursa sonat, hospes mihi fercula donat,*

*Dum mea bursa vacat, hospes tunc ostia monstrat.*

Suasferim praeterea etiam, ut modus in capiendis rebus teneatur,  
nec per ullam πολυτελειαν, hoc est, multarum artium, seu  
infinitorum negotiorum apparatus rei parandae incumbatur. n. 68.

*Semper egenus eris, si semper plus Tibi quæris,*

*Quum contentus eris, tum dives efficieris.*

Quin & ministros eligere jubemur, qui nulla domino alteri obliga-  
tione obnoxii sunt. n. 77.

*Deficit ambobus, qui vult servire duobus.*

Nec ferendi sunt, qui in comparandis emtione rebus pro rebus par-  
vi pretii multos sumptus impendunt. n. 78.

*Cui mens est stulta, pro paucis vult dare multa.*

§. 96. Sed hæc præcepta omnia ad partem generalem œco-  
nomices referenda sunt. Par itaque est, ut ex parte speciali unum  
etiam atque alterum allegetur. Sicque rei rusticæ cultoribus profi-  
cium existimamus, si rerum naturalium notitiam habeant, quo-  
que ordine & quibus effectioibus, quæ a Deo constituta sunt,  
corpora naturalia ad usum nostrum decurrant.

n. 21. *Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.*

n. 25. *Quicquid nix velat, solis calor omne revelat.*

Et mercatores rebus suis optime consuluerint, si quæ civibus & inco-  
lis urbis & regionum, in quibus existunt & negotiantur, cordi esse  
noverint, ex peregrinis locis aut arcessant aut afferant. n. 79.

*Quod*

*Quod procul affertur, hoc dulcius esse refertur.*

§. 97. Ad postremum de doctrina poetica dicenda nonnulla adhuc sunt. Ex quâ primum omnium occurrit vinum, caballus poetarum πολυθηλλῆν verbo appellatus, n. 74.

*Qui bona vina bibunt, vates bona carmina scribunt.*

Apparetque facile, inter causas efficientes carminis bibitionem vini poni. Dicuntur enim bona carmina scribere poetæ, qui bona vina bibunt. De qua re quid videatur, nunc aperiendum mihi est. Causam efficientem existimo in poesi considerari posse vel ratione habitus poetici, vel ratione exercitii ex isto habitu, sive actu jam existentis confessionis carminum. In priori consideratione non aliâ habitus poetici causâ proferri & venditari possunt, quam quæ aliorum habituum sunt, & Φύσις, μάθησις atque ἀσκησις, hoc est, naturalis ad carmina faciendâ aptitudo, præceptorum intellectio atque admissio, & diligens atque assidua, quum in conficiendis à nobis ipsis poematibus, tum considerandis & ad præcepta artis accommodandis aliorum operibus exercitatio appellantur. Quando vero ex habitu sic acquisito actu jam carmen componitur, accedit tanquam causa excitans etiam furor poeticus, seu poetæ constitutio, quâ à cogitationibus omnibus aliis abstractus in una tantum ista re consideranda hæret, quæ per modum actionis humanæ debet formari elocutioneque poetica atque metro vestiri. Ad quam vero causarum efficientium classem vinum accedit? Ad habitus causas non pertinere, ideò arbitrari possis, quod neque natura neque doctrina, neque exercitatio vinum sit. Quod vero neque concurrat ad exercitium habitus aut actum, quo versus componuntur, quum inde negari potest, quod per nimios vini haustus Spiritus confunduntur, & ad edendas operationes rationis non appositi sunt & idonei, tum inde dubito, quod & præstantissimi poetæ, præcipue epici, nihil de hoc equo dicunt, & quod multi profitentur, per summionem vini se impediri, quò minus versus facere possint, ut & ipse toties in claudendis metro vel rebus vel verbis torpeo, quoties vel parum vini haustum est. Suspectumque inprimis esse potest, quicquid de causâ hac efficiente jactatur, quod non ab aliis fermè hoc nomine vinum laudari, apertum est, quam ab illis, qui hoc liquore ante alios delectantur. Sed nolim tamen vinum planè ex numero causarum excludere. Affirmaveroque

adeo

adeo, per vinum vires naturales, quæ ad versus faciendos necessariae sunt, interdum conservari, reparari, excitari, auctioresque fieri; sicque ad naturam adhuc referam, quæ prima causa est habitus poetici. Constatque vel ipsorum poetarum, qui de hoc caballo loquuntur, testimonio, opinionem meam posse fulciri. Ex quibus unicum Martinum Zuberum producam, quo non facile ullus Bacchi adduci poterit studiosior. Ita autem ille, *Epodæ. Psec. 4.* ad M. Georgium Liptizium scribit:

*Nec capis ulla lassitudo  
Assuetum cerebrum suo labori,  
Immensi numeri licet, gerundo.  
Interdum tamen optimi Falerni,  
Quod doctis celer est equus poetis,  
Et axungia versuum bonorum,  
Sextantes aliquot bibo aut trientes.  
Hac me roboro recreatione,  
Mecum participa hanc refectioem,  
Liptitzi, puer attulit saporem,  
Attulit mihi nobilem saporem.*

Sane exponit prædicatum caballi de vino, quod per illud cerebrum seu ingenium per metonymiam subjecti pro adjuncto, id est, naturalis ad carmina componenda inclinatio hac recreatione interdum roboratur; vocatque etiam ad refectioem hanc suam sumendam Liptitizium in præsentia, quod sapor modo nobilissimus à puero allatus sit. Verisimileque, sententiam meam firmam facere & vulgare verbum, quod, qui vina bibant, volubiliorem ad verba proferenda linguam accipiant. Horatius, *lib. I ep. 5. v. 19.*

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Et Polyhistor noster n. 21.

*Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.*

His ipsis tamen non prorsus negabo, posse nonnullos esse, ut varia hominum sunt ingenia, qui bene poti etiam carmina profundant, ut non negaverim, Zuberum alio loco de se in hunc sensum videri loqui, *Epodæ. Psec. III.* ad Abrahamum Drentvvetum his phalæucis:

*Quod Bacchus faciat bonos poetas,  
Idem quod recreet bonos poetas,*

L

Serp

*Sensusque excitet arduos iisdem,  
 Quod Phæbo potior sit atque Musis,  
 Expertus fateor, loquor que clare.  
 Fortis sume aliquot meri trientes,  
 Drentvete, illico senties calere  
 Versus ingenium ad benigniores.  
 Sic fuisse ferunt Anacreonta  
 Cinctum tempora pampino virenti.  
 Sic produnt madidum Ennium fuisse.  
 Sic Hæsum quoque fundit asse porum,  
 Sic fervor potis elici furorve.*

Et quæ plura ibi sequuntur. Sed malim tamen carmina τῶν λαλῶν-  
 τῶν, ἢ τῶν ἐμῶν τῶν.

§. 98. De πολυμαθεῖα poetica ex Leoninis nostris erudimur etiam. Duo autem in re ista nunc declarabo. Primum est, poetæ in omni disciplinarum eruditum genere versandum esse. Alterum est, eruditionem poetæ non perfectam esse, & summe accuratam atq; adeo ἀνεροατικὴν, sed ἐξωτερικὴν solum, imperfectam, planeque etiam nonnunquam cum errore conjunctam. Prius ex factis hæcenus commentationibus patet. Non enim ulla est disciplina, non ex humanioribus literis solum, sed & ex philosophia quæ instrumentali, tum principali, hæcque vel Theoretica vel practica, ex qua non una atque altera materia occasione versuum Leoninorum declarata sit. Posterius verò inde etiam constare arbitror, quod, quæ afferuntur, in nudis thesibus & assertionibus consistunt, & ut nulla confirmatione stabiliuntur, sic nec ab ulla objectione & oppositione defenduntur. Erroresque etiam non abesse, forte demonstravero. Nam  
 & n. 94.

*Qui violare fidem solet, & violetur eidem,*

& n. 88.

*Cautus homo cavet, quotquot natura notavit,*

& n. 73.

*In ruffa pelle vix est animus sine felle,*  
 pro veris ante admittere non possum, quam accurata, & explicatione  
 & circumscriptione clariores facti & limitati fuerunt.



§. 99. Ultimo loco materiam præbere possunt variis carminum generibus condendis Leonini præsentis. Cur non namque ad Tragedium conducatur. n. 2.

*Vita palatina dura est, animaque ruina.*

& n. 34. *Gratia magnatum nescit habere statum.*  
Comœdiæ argumentum est. n. 73.

*In ruffa pelle vix est animus sine felle.*

Satyram dabit n. 59. in luxum:

*Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit.*

Elegia nascitura est ex n. 52.

*Dum tumulum cernis, cur non mortalia spernis?*

*Tali namque domo conditur omnis homo,*

& n. 84. *Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.*

Bucolici carminis vestigia animadvertes in n. 3.

*Ulula cum lupis, cum quibus esse cupis.*

Epicum erit carmen ex n. 70.

*Virtutum munus præstare potest Deus unus.*

Et Epigrammata etiam pro scopi, qui in iisdem quaritur, diversitate diversa existunt. Satyrico sale adspargentur, qui contra. n. 65.

*Somnia ne cures. Nam fallunt plurima plures,*

somniorum conjectores nimis admirantur. Laude autem afficiuntur, qui longè majori fortitudine, quàm quàm mundus vinci potest, cor proprium superant, ex n. 66.

*Vincere cor proprium plus est, quam vincere mundum.*

§. 100. Et sanè hac ipsa ratione poetam agere in præsentem commentatione conati sumus. Nam sicut inter mutatas dicendi rationes & una est, quæ vel soluta oratione scripta sunt, ligato sermone exhibentur, vel quæ in uno carminis genere occurrunt, in aliud transferuntur, ita nos, quæ vel disticho, vel versibus hexametris aut uno aut duobus, vel pentametro etiam solo complexi sunt poetæ barbari, versibus jambicis quatuor expressimus, perinde, ut & jam antè in Commentationibus nostris in Curtium & Poesin Barbaricam & sententias in Curtio deprehensas singulas octo adonicis versibus inclusimus, imposterumque forte etiam singulas quatuor Trochæicis exprimemus, si Deus vitam concesserit, & vixerimus, & versus leoninos, prout à nobis nunc exhibentur, pariter singulos in distichon

stichon latinum convertimus. Quam ultimam opera in, quod rythmi in disticho novo omitterentur, exilium leoninum vocavimus. Et nullo fortassis negotio fiat, eosdem Leoninos aliis metrorum generibus legentibus objicere. Rem in ultimo versu tentabimus, eundemque conclusionis loco & Phaleucis, & Choriambis, & Trochæis & Hexametris comprehensum subjiciemus.

Phaleuci.

Mensas vis onerat placens ciborum,  
Interdum stimulus manus gulæque.  
Tardo sed monitus sedeto dente.  
Speratam impediēs vorax senectam.

Choriambi.

Mensas si positas esca refarciat,  
Gratis lautitiæ condita ferculis,  
Frenans os cupidum sume placentiæ,  
Ne protracta tibi tempora subtrahas.

Trochæi.

Dextra per multis refertas parca mensas ferculis,  
Nonque tangens, nonque libans, quæ videntur optima,  
Quos dies vitæ videbis, integra annis inferet,  
Qui senis canis colendi splendidis superbiunt.

Hexametri.

Tempora, sunt, longæ spectant qui grata senectæ,  
Quorumque in seros artus vigor extulit annos.  
Tantæ audire velis si foris, dixerō, causam.  
Inter constructæ cessarunt fercula mensæ.

S. 101. Tantumque in præsentia! Potuissent plures & magis extensæ annotationes congeri. Sed non perfectum opus conscribere, sed vestigia operis figere consilium fuit.

## PARALIPOMENON UNICUM,

*Ad quod carminum genus igitur Leonini referendū?*

§. 1. **V**ersus leonini peculiare carminum genus constituunt, distinctum, & ab epico, & a lyrico, & a scenico, & a cæteris. Didacticum appelles, quod per id docentur, quæ ad colligendam variarum rerum scientiam, & instituendam ad dictamen rectæ rationis vitam necessaria sunt, & conducibilia.

§. 2. Excogitatum esse in seculis barbaris, passim in annotationibus ostensum & demonstratum est. Vid. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 34. 41.

§. 3. Eum in finem vero placuit, ut, quæ sciri & fieri oportet, paulo clarius appareant, quam quando sub longis fabularum involucris occultantur. Sed ne tamen gratia delectationis omnis desit, metrum adhibitum esse, arbitrandum est.

§. 4. Materiam præstant, quæcumque in Philosophia, vel instrumentali, vel principali, hæcque vel Theoretica, vel Practica, in omni imo humanitatis genere, quin sacris etiam literis & rebus, quum ad jura dispensanda destinatis, tum ad reducendam in corpora affecta benigniorem valetudinem accommodatis traduntur & declarantur.

§. 5. Fictio rigorosius dicta & quæ in proluxa actionum humanarum imitatione consistit, non adest.

§. 6. Metrum vero usurpatur breve, & quod vel uno hexametro, aut pentametro, vel conjunctis aut duobus hexametris, aut uno hexametro & pentametro absolvitur. Vix enim est, quando ad plures, quam duos versus progressi fuerunt poetæ. Sed in hoc ipso tamen considerandum est etiam, quod Syllabæ ultimæ in eundem sonum, & quidem non cum omni accurratione & elegantia cadunt §. 10. & quod quantitas Syllabarum sæpius negligitur, sicque rhythmicæ tantum versus occurrunt §. 6. 7. 8. 9. elisionesque etiam quandoque non fiunt, ut debent. §. 9.

§. 7. Character dicendi est tenuis, vitioque styli humilis, quo is per nimium neglectum jejunos redditur & exlangvis, invenustus. §. 41. Consistitque jejuna hæc styli & inanis affectio partim in eo, quod verbis latinis varii idiotismi lingvarum inseruntur, quæ gentibus eo tempore viventibus vernaculæ fuerunt. §. 4 partim in eo, quod

quod multa in versibus his licet observare verba suspectæ latinitatis, & quæ in seculis barbaris tantum usurpata fuerunt, nonque in veris latinitatis scriptoribus inveniuntur. §. 5. partim in eo, quod occurrentes latinæ formulæ non tam autoritate, quam analogia latinæ sunt. §. 24.

§. 8. Definimus igitur versus leonios carminum genus barbaris seculis familiare, quo omnia & ad eruditionem & ad institutionem vitæ pertinentes præceptiones absque fictione metro brevi & in quamplurimis ab elegantia antiquiorum recedente per dicendi rationem in tenuitate inanem & jejunam, quum docendi tum delectandi auditores gratia, proferuntur.

§. 9. Et non poterit quidem de versibus leoninis, prout in turpitudine sua barbarica considerantur, aliter judicari. Sed putandum tamen non est, idem carminum genus cum cultu debito inter veteres non occurrisse. Nam & ex Græcis huc pertinent Theognidis sententiæ, & ex Latinis Catonis Disticha. Eique rei quum multa alia documento sunt, tum id imprimis, quod & in Theognide & in Catone eadem res inveniuntur traditæ, quæ in versibus leoninis existunt.

§. 10. Theognidis versus 1121 & sequens:

ἴδεν, κύνε, δεγνῆ ἀδικώτερον, ἢ τὸν ἔχοντα  
πνημαίνει, θυμῷ δαίδα χαρίζομένη,

Idem exprimunt, quod inter Leoninos n. 42. dicitur:

*Iratus rerum nescit discernere verum.*

Et quod Cato significat l. 4. n. 24.

*Hoc bibe, quod possis, sita vis vivere sanus,*

*Morbi causa mali nimia est quacunq; voluptas,*

Eo tenditur etiam n. 100. Leoninorum:

*Parco sapè cibus, & sic annofo ibis.*

§. 11. Imò verò ad hoc carminum genus ex elegantissimis præsci seculi Pœris referam Phædri fabulas Æsopias. Nam ut ipsæ fabulæ Æsopiæ, sic & translationes illarum in versus non alio fine factæ sunt, quàm ut homines cum jucunditate aliqua & delectatione discant, quæ ad vitam benè & prudenter agendam utilia sunt & proficua. Fabulas quidem continent, sed quæ longissimè distinctæ sunt à figmentis pœticis. Siquè attendere velimus, habebimus  
etiam

etiam exempla illarum rerum, quæ in Leoninis deprehenduntur. Sanè, quod Phædrus *lib. 1. n. 27.* demonstrare voluit per fabulam aliquam Æsopiam, idem continetur Leonino *94.* Hicque quidem ita se habet:

*Qui violare fidem solet, & violetur eidem.*  
Phædri verò *περὸν δὲ* est:

*Nulli nocendum. Si quis vero læserit,  
Multandum simili jure fabella admonet.*

Ad postremumque ad eò ingenuè fatemur, exemplum Phædri causam nobis suffecisse, quare in aliud metri genus, quod latinus esset, translaturi Leoninos, non alio metro, nisi usurpato à Phædro Jambico, uteremur.

## MANTISSA

ex

### TRANSCENDENTIBUS CATULLIANIS.

#### SUMMARIUM.

**T**ranscendentium nomen. Et cur Catullianorum vox accedat? §. 1. Omnia ex Epithalamio in Pelei & Theridos nuptias declarantur. §. 2. Entia realia & rationis quum possibilia cum impossibilia. §. 3. Unum per accidens, itemque divisibile, & indivisibile. §. 4. Exemplum non veri & veri. Ignorantia pura negationis & prava dispositionis. §. 5. Bonum absolute dictum & bonum alteri. Bonum per essentiam & per participationem. §. 6. Bonum transcendente & naturale. §. 7. & morale. Mala naturalia & moralia. §. 8. Bonum alteri. §. 9. Bona vera & apparenter talia. §. 10. Bona honesta, jucunda & utilia. §. 11. Bona animi, corporis & fortunæ. §. 12. Mala culpe & pœne. §. 13. Actus purus & impurus, primus & secundus, signatus & exercitus. §. 14. Potentia Dei & creaturæ. §. 15. Potentia naturalis & obedientialis. §. 16. Potentia naturalis & libera. §. 17. Potentia ordinata & absoluta, eaque vel in Deo vel in creaturæ. §. 18. Potentia remota & proxima, ut & ens actuale & potentiale. §. 19. Principium causale & non causale. Principia essendi, fiendi & cognoscendi, principium incomplexum & complexum. §. 20. Causa & causatum. §. 21. Causa vera & sine qua non. §. 22. Cau-

sa

sa actu vel potentia talis, totalis & partialis, seu sociâ. §. 23. Causa remota & proxima, subordinata & non subordinata, universalis & particularis. §. 24. Materia in qua, circa quam & ex qua. §. 25. Materia prima & secunda, sensibilis & intelligibilis, transiens & permanens. §. 26. Forma informans & assistens. §. 27. Forma substantialis & accidentalis. §. 28. Forma materialis & immaterialis. §. 29. Forma totalis & partialis, generica & specifica. §. 30. Causa efficiens principalis & minus principalis, prima & secunda. §. 31. Causa univoca & equivoca. §. 32. Causa libera & naturalis, physica & moralis, per se & per accidens. §. 33. Finis vel pro extremo, vel pro causa finali, ultimus & inter medius, principalis & minus principalis, objectivus & formalis. §. 34. Finis efficiendus & obtinendus, externus & internus, cui & cujus. §. 35. Ens necessarium & contingens. §. 36. Compositio realis & rationis. §. 37. Torum essentiate, integrale, seu similare seu dissimilare, universale. §. 38. Identitas generica & specifica, similitudo, equalitas, Identitas subjecti. §. 39. Diversitas generica, specifica, & numerica, dissimilitudo, in equalitas. Diversitas subjecti. §. 40. Distinctio vel realis vel aut modalis aut rationis seu ratiocinantis seu ratiocinata. §. 41. Oppositio privativa, contradictoria, contraria & relativa. §. 42. Ens universale & singulare. §. 43. Ens finitum & infinitum. §. 44. Perfectio partium & graduum. §. 45. Deus & creatura, substantia & accidens ex parte speciali Metaphysices. §. 46.

S. I.

**T**ranscendentia idem valent, ac Metaphysica. Intelligunturque per utrumque nomen varii termini seu distinctiones, quæ in disciplina hac appellatione insignitâ exponuntur, inque usurpationem reliquis scientiis & artibus traduntur. Catullianorum autem vox accessit, quod termini exhibiti non ex aliis exemplis, quam quæ ex Catulli poetæ carminibus de prompta sunt, illustrantur, & magis perspicui evadunt.

§. 2. Et consilium quidem fuit omnes distinctiones ex omnibus carminibus dicti jam poetæ explicatiores facere, & scire volentibus magis obvias. Sed nunc nonnullis tantum explicandis, quod in nuptias Pelei & Thetidos confectum fuit, accommodabimus. Deprehendes enim, si attendere velis, solum illud instituto nostro sufficere posse, imo jam suffecisse.

§. 3. Ad

§. 3. Atque ita quidem entia realia sunt, rura, juvenes, vineæ, reſtrum, gleba, vomer, taurus. Revera enim exiſtunt omnia. De iis autem agitur. v. 38. 39. 40.

*Rura colit nemo, molleſcunt colla juvenis,  
Non humilis curvis purgatur vinea raſtris,  
Sed glebam prono convellit vomere taurus.*

Sed connubia Theſei & Ariadnæ ens rationis appellanda ſunt poſſibile. Nam non exiſtebant quidem, poterant tamen exiſtere. v. 139. 140. 141.

*At non hæc quondam blanda promiſſa dediſti  
Voce mihi, non hoc miſeram ſperare jubebar,  
Sed connubia læta, ſed optatos hymeneos,  
Quæ cuncta ærei diſcerpunt irrita venti.*

Quæ de Diis verò gentilium, Phaethonte, v. g. Baccho, Phœbo, Marte traduntur, ad entia rationis refero impoſſibilia, quod neq; exiſtunt, neque per potentiam Dei abſolutam exiſtere poſſunt. De Phaethonte agitur. v. 290. 291.

*Non ſine nutanti platano, lentaque ſorore  
Flammæ Phæthontis, & æreæ cupreſſu.*

§. 4. Unum dici poteſt navis Colchica. Fuit enim ens indi-  
viſum. Dicitur namque currus, in quo pinea texta inflexæ carinæ  
conjuncta erant. v. 10. Et vocanda quidem navis hæc etiam eſt u-  
num per accidens, quod ejus partes corporaliter beneficio artis co-  
hærebant. Sed de celeri cerva, cujus mentio fit. v. 339. & 340.

*Qui per ſepe vagoviſtor certamine curſus  
Flammæ prævertet celeris veſtigia cervæ,*

Exemplum peto unius per aggregationem, cujus partes corporaliter  
beneficio naturæ cohærent. Celeri enim curſu cerva fertur, quod  
cum tali qualitate à natura producta eſt. Vidit Ariadne. v. 57. ſe  
deſertam miſeram in ſola arena. Sed arena eſt unum per aggregatio-  
nem, cujus partes corporaliter non cohærent. Et id etiam ſine  
omni ordine factum eſt. Memorantur choræ Nereidum v. 287.  
Sed in choreis videtur unum per aggregationem, in cujus partibus  
corporaliter non cohærentibus ordo obſervatur. Stat enim in cho-  
reis

reis unum primo, aliud medio, & iterum aliud ultimo loco. Unum indivisum divisibile sunt corollæ. Ita enim sic connexi sunt flores, ut facile divelli iterum possint. Pertinentque ad illustrandam hanc rem v. 280. seqq.

*Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis  
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas  
Aura parit flores tepidi sæcunda Favoni,  
Hos indistinctis plexos culit ipse corollis.*

Animum vero hominis unum voco, licet non absolute, suo tamen modo indivisibile. Nam, ut spiritus, in partes substantiales alias distingvi non potest. v. 372.

*Quare agite optatos, animi, conjungite amores.*

§. 5. In persuasione Ariadnæ, futurum esse, ut connubio perpetuo jungatur cum Theseo, veritas non erat. Non enim res extra intellectum Ariadnes seu nuptiæ futuræ cum illo conveniebant. Quam decepta quippe fuerit, testatur ipsa. v. 131. 132.

*Siccine me patriis abductam, perside, ab oris  
Perside, deserto liquisti litore Theseu?*

Vaticinium vero Parcarum, de felicitate & fortitudine nascituræ ex conjugio Pelei & Theridos sobolis verum appellandum est. Intellectus enim Parcarum, seu quod prædixerant Parca, id cum re extra intellectum consentiebat. Talis enim evasit Achilles, qualis prænunciatus est. v. 338. seqq. Quorum initium est:

*Nascetur vobis expers terroris Achilles,  
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.*

Verfataque adeo Ariadna etiam in ignorantia est. Nec quicquam impedimento esse posse video, quo minus ignorantiam prævæ dispositionis nominem. Intelligebat enim quidem Ariadna, quænam nuptiæ essent, quibus Theseo jungeretur. Sed putabat eventuras esse, quæ non eveniebant. Putabis hocque magis, præavam dispositionem interve nisse, quod rationes essent, quæ ab amore Thesei abstrahere Ariadnam non poterant solum, sed & debebant. Inter quas præcipuæ, quod temerario intuitu in amores Thesei abrepta est, quod parentesque in has nuptias vix consentientes reliquit, tristitiaque affectit. De priori. v. 86. seqq.



*Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo  
Regia,*

*Non prius ex illo flagrantia declinavit  
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam  
Funditus, atque inis exarsit tota medullis.*

De posteriore vero. v. 116. seqq.

*Sed quorsum primo digressus carmine plura  
Commemorem? ut linquens Genitoris filia vultum,  
Ut consanguinea complexum, ut denique matris,  
Quæ misera gnati misero deperdit a luctu,  
Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?*

Ignorantia pravæ dispositionis apparuit etiam in patre Thesei *Egeos*. Quod enim filius Theseus rediens post occisum *Minotaurum*, ut in mandatis a parente abiens acceperat, si monstrum occidisset, loco nigri & funesti veli album & lætum non suspenderat, interfectum ratus *Parentem* filium, seipsum ex turri in mare projecit. Ignorantia igitur erat in errore, *Thesea* interfectum fuisse. Pravæ autem dispositionis eam voco, quoniam & parens intellexit, quisnam quæstionis sensus, & omnibus circumstantiis facti non satis considerate excusis affirmaverat, quæ neganda erant. Pertinent huc v. 231. usque 245.

*Tum vero facito, ut memori Tibi condita corde  
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret atas:*

*Ut simul ac nostros invisent lumina colles  
Funestam antennæ deponant undique vestem,*

*Candidaque intorti sustollant vela rudentes,  
Quam primum cernens ut læta gaudia mente*

*Agnoscam, quum Te reducem fors prospera sistet:  
Hæc mandata prius constanti mente tenentem*

*Thesea, ceu pulse ventorum flamine nubes,  
Aereum nivi montis, liquere, cacumen.*

*At pater, ut summa prospectum ex arce petebat*

*Anxia in assiduus absument lumina stertus,*

*Quum primum instari conspexit lineæ veli,*

*Precipitem sese scopulorum e vertice jecit,*

*Amissum credens immiti Thesea fato.*

In Labyrintho verò credo fuisse exemplum ignorantia, quæ dicebatur sic puræ negationis. Poëta v. 12. seqq.

*Inde quidem victor multâ cum laude reflexit*

*Errabunda regens tenui vestigia filo,*

*Ne Labyrinthis e flexibus egredientem*

*Tecti frustraretur inobservabilis error.*

Explicat verò Cretensem hunc Labyrinthum ita Plinius H. N. L. 36. c. 13. Hinc utique sumfisse Dedalum exemplar ejus Labyrinthi. quem fecit in Creta, non est dubium, sed centesimam tantum portionem ejus imitatum, quæ itinerum ambages, occurfusque ac recursus inexplicabiles continet, non (ut in pavimentis, puerumve ludicris campestribus videmus) brevi lacinia millia passuum plura ambulationis continentem, sed crebris foribus inditis ad fallendos occurfus redeundumque in errores eosdem. Ignorabant nimirum, qui in labyrinthis existebant, viam ad salutem suam. Hæcque ignorantia ex eo exorbitatur, quia non intelligebatur obscurusque erat exitus ex labyrintho. Unde & error à Poëta vocatur inobservabilis.

§. 6. Bonum absolute seu simpliciter dictum sunt nuptiæ Pelei & Thetidos. Habent enim perfectionem debitam inesse, coeherentque consensu sponsi, sponsæ, parentumque. Qui consensus ad perfectionem nuptiis debitam requiritur. v. 19. 20. 21.

*Tum Thetidos Peleus incensus fertur amore,*

*Tum Thetis humanos non despexit hymeneos,*

*Tum Thetidi Pater ipse jugandum Pelea sensit.*

Existit autem in verfu primo consensus sponsi, & in secundo consensus sponsæ, & in tertio consensus parentum. Existebatque adeo manifesta perfectio his nuptiis debita, ut prosperitatem sic conjutorum conjugum poëta per exclamationem testaretur. v. 23.

*O nimis optato seclorum tempore nati!*

Bonum per essentiam tale est solus Deus, quod perfectionem suam non aliunde habet, sed a se ipso. Et huc ducimur per nomina Deorum gentilium à poëta. Ex quibus nominantur, Neptunus v. 2. Pallas v. 8. Jupiter v. 26. Venus v. 72. Eumenides v. 103. Bacchus v. 251. Phœbus, Diana v. 298. 299. Parca v. 306. Nam tametsi omnia falsâ sunt, quæ de Diis his quoad literam traduntur, per has ipsas tamen ambages vera Deitas sistitur, quæ ex lumine naturæ agnoscitur, & perfectionem habere comprehenditur, quæ ex nullo à se ipso constituitur.

fituto principio promanat. Bonus vero per participationem dicendus est Achilles, cujus præstantia non solum describitur v. 383; sed designatur etiam participatio ejusdem; quæ & ex parentibus judicatur v. 334. seqq. & ex prædicatione Parcarum colligenda est v. 375. seqq. & per præsentiam multorum Deorum in nuptiis conciliata est v. 384. seqq.

§. 7. Inter bona transcendentalia multa numerari possunt, ut sunt juvenes v. 38. taurus v. 40. arbor, v. 41. Omnibus enim tribui potest essentia, tanquam perfectio transcendentalis. At perfectionem naturalem deprehendo in floribus & arboribus, quas ad nuptias Pelei & Thetidos attulerunt venientes. Nam perfectionem naturalem in iis fuisse, & ex scopo patet, ad quem allatæ sunt, & ex descriptione rerum, quæ allatæ sunt. Finis erat, ut partim corollæ adessent, partim domus nuptialis exornaretur. Ad quarum rerum usum non nisi perfectissima adhiberi solent. De floribus est in v. 285.

*Hos indistinctis plexos tulit ipse (Chiron) corollis.*

Et de arboribus v. 292.

*Hec circum sedes late contexta locavit,*

*Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.*

In descriptione verò & ad causam efficientem respiciendum est, adeoque originem, & ad effectum. Causa efficiens fititur v. 280. 281. 282.

*Nam quocunque ferunt campi, quos Thessala magnis*

*Montibus ora creat quos propter fluminis undas*

*Aura parit flores repidi foecunda Favoni.*

Sed effectus exhibetur. v. 285.

*Quæ permulsa domus jucundo risit odore.*

Quin & arborum excellentia ex formæ præstantia, ex qua describitur, intelligitur. Visæ enim sunt altæ fagi, rectæ procero stipite lauri, aereæ cupressus. Quæ descriptiones habentur. v. 288. 289. 290.

§. 8. Nec desunt bona moralia. Laudatur enim à fortitudine Achilles, quando expertus terroris dicitur, & hostibus haud tergo, sed fortipetore notus. v. 238. 239. Extolluntur à liberalitate venientes ad nuptias Pelei & Thetidos heroës & Dii v. 279. seqq. Magni fit pietas Ægei in filium Thesea v. 212. seqq. Et singulariter etiam eadem virtute

tute in patriam affectus fuit Theseus v. 81. seqq. Quin & Nereides elegantibus operibus delectatae fuisse non sine encomio perhibentur, v. 12. seqq. Atque equidem quod opponatur bono transcendentali, non dabitur; sed supererunt tamen etiam mala quum naturalia, tum moralia. Et naturale quidem est, quando umbra arboris falce atteritur frondatorum. v. 41. Et pertinere huc etiam dixero formigas, quas Erycina aspidius luctibus externat spinosas curas in pectore ferrens v. 71. 72. Nam per curas corrumpitur etiam integritas creaturae ratiocinantis. Ex qua causa & ipsa Ariadna toto pectore ex Theseo & toto animo, & tota pependisse perdita mente asseritur. v. 69. 70. Amittit porro bonitatem naturalem quercus & pinus, quando in domitus turbo contorquens flamine robur eruit v. 107. nec non obvia, quae procul radicibus extirpata pronaque cadens arbore late & comminus frangit v. 108. 109. ut & arista, quae a messoribus prosternuntur, dum subardenti sole flaventia arma demerunt v. 303. seqq. Multa denique mala moralia recensentur a poeta, quando de vitii temporis seculo aureo succedentis canit his versibus, v. 327. seqq.

*Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,  
Iustitiamque omnem cupida de mente sugarunt,  
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,  
Desitit extinctos natus lugere parentes,  
Optavit Genitor primævi funera nati.*

§.9. Inter bona alteri memoro fecundam auram tepidi Favoni. Nam hæc commoda est floribus vernis producendis. Unde attulisse ad nuptias Pelei memoratur Chiron. v. 279. 280.

*Quos propter fluminis undas  
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni.*

Hucque etiam pertinent. v. 89. 90.

*Qualis Eurota progignunt flumina myrtos,  
Aurave distinctos educit verna colores.*

Ita taurus bonus est convellendæ prono vomere glebæ, & rastra idonea purgandæ humili vineæ. v. 39. 40.

*Non humilis curvis purgatur vinea astris.  
Non glebam prono convellit vomere taurus.*

§. 10. Sed praecipua inter bona alteri humana sunt. De his solis igitur, quæ residua sunt, exempla afferentur. Utque illa ante omnia in vera & apparentia distinguntur: ita inter posteriora collocamus speratas ab Ariadna Thesei nuptias. Namque existimabantur quidem coitura. Sed relinquebatur mox sponsa ab amato, promissaque adeo non servabantur. v. 57. seqq.

*Utpote fallaci quæ tum primum excita somno*

*Desertam in sola miseram se cernit arena.*

*Immemor at juvenis fugiens pellit vadarem*

*Irrita ventose linquens promissa procelle.*

Exemplum autem veri boni constituit matrimonium Pelei & Thetidis. Idque ex carminibus Parcarum concludendum est. v. 328. seqq.

*Adveniat Tibi jam portans optata maritis*

*Hesperus, adveniet fausto cum sidere conjux.*

v. 382. seqq.

*Talia præfantes quondam felicia Pelei*

*Carmina divino cecinerunt omine Parce.*

§. 11. Distinguitur bonum humanum porro in honestum, jucundum & utile. Honestum bonum dicenda est modestia Thessalica juventa, quæ, postquam spectaverat purpureum pulvinar in nuptiis Pelei & Thetidis, decesserat, datura locum grandibus viris, qui ad nuptias has celebrandas venerant. De qua re v. 265. seqq.

*Talibus amplifica vestis decorata figuris*

*Pulvinar complexa suo velabat amictu.*

*Quæ postquam cupido spectando Thessala pubes*

*Expleta est, sanctis coepit decedere Divis.*

Et injucundam quidem rem sensit pater Thesei, quum summa prospectum ex arce peteret & anxia in assiduos fletus lumina absumeret. v. 291, 292. Sed voluptate tamen plena etiam erat celebratio Bacclica, quæ fervebat, quum in amores Ariadnes à Theseo relicta Liber accederet. v. 251. seqq.

*At parte ex alia florens volitabat Jachus*

*Cum thiaso Satyrorum & Nesigenis Silenis,*

*Te quærens Ariadna, tuoque incensus amore.*

*Qui tum alacres passim lymphata mente furebant.*

Et

Et gaudia etiam exoriuntur, quando messorum prosternunt densas  
aristas, & sole sub ardenti flaventia arva demerunt. v. 353. seqq. Quia  
nec sine titillatione constructæ multiplici dape mensæ absumuntur.  
v. 302. seqq.

*Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,  
Large multiplici constructæ sunt dape mensæ.*

Utilitas observatur, quando de regia, in qua nuptiæ Pelei & Thetidos  
celebratæ fuerunt, commemoratur, quod sedes ipsius, quacunque o-  
pulenta recessit regia, fulgenti splendeat auro atque argento, quod  
candeat ebur foliis, quod conluceant pocula mensis, & tota domus  
splendida regali gaza gaudeat. v. 93. seqq. Et huc etiam aureum vel-  
lus Colchicum referendum est. v. 4. 5. 6.

*Quum lecti juvenes Argivæ robora pubis  
Auratam optantes Colchis avertere pellem  
Ausu sunt vada falsa circa decurrere puppi.*

§. 12. Est ex bonis humanis ad postremum aliud animi, aliud  
corporis, aliud fortunæ. Bonum animi est, non ingrata munuscula  
Divis promittentem tacito labello vota suspendere v. 103. 104. Insigni-  
unturque hoc etiam, quibus elementia præsto est v. 137. & qui dicta  
metuunt, & perjuriam curant, simul ac cupidæ mentis satiata libido est,  
quando, dum aliquid cupiens animus prægestit apifici, nil metuunt  
jurare, & nihil promittere parcunt v. 146. seqq. Bonis corporis præ-  
stant, quorum robustis collis substerni brachia possunt v. 332. & qui  
per sæpe vago victores certamine cursus flammæ celeris vestigia  
cervæ prævertunt. v. 340. 341. Ex fortuna felices sunt parentes, quan-  
do nati non desunt lugere extinctos v. 400. quibus naves contigit  
ipso Deo extruere. v. 9. & qui in felici matrimonio exsunt. v. 19.  
20. 21. & quibus ipse Jupiter suos concedit amores v. 26. sicque eximie  
tædis felicibus augentur. v. 25.

§. 13. Sed & de malis aliquid addendum est, quatenus in culpæ  
& poenæ dividuntur. Et malum quidem culpæ erat, quod Ariadnæ  
Theseus promissas nuptias non præstaret. Sed malum poenæ sentie-  
bat etiam, quod & ipse ex eo, quod non fecerat, quod in mandatis  
apparente profecturus in Cretam acceperat, occasionem sufficiebat,  
ex qua se ipse parens de turri in mare dejecerat. Testantur de hac re,  
qua de Ariadna & Theseo narrationi subjunguntur à poeta, verba  
ultima. v. 246. seqq.

Sic

*Sic funesta domus ingressus recta, paterna  
Morteferox Theseus, qualem Minoidi luctum  
Obiulerat mente immemori, talem ipse recepit.*

Malum culpæ erat, quod post seculum aureum tellus scelere imbuta est nefando, iustitiamque omnes de mente cupida fugarunt. v. 397. 398. Sed malum pœnæ dicendum est, quod Dii iccirco non amplius ad homines accessisse credebantur v. 407. 408.

*Quare nec tales dignantur visere cætus,  
Nec se contingi patiuntur lumine claro.*

§. 14. Natura Dei, quatenus & per naturam cognoscitur, & ex sacrarum literarum lumine habetur, sub variis Deorum gentilium tegumentis cum diversa corruptione traditur. Ex sola ergo & gentilium Theologia exemplum actus puri, & in quo nulla potentia passiva existit, suo tamen modo, desumenda est. Sed actus impuri sunt arbores. Nam & potentiam habent, qua perfici possunt, nempe qua per flumina sensim, sensimque progignuntur v. 89. & qua corrumpi possunt, ut contingit, quando radicibus extirpatæ pronæ cadunt, lateque & cominus obvia frangunt v. 108. 109. Actus primus prædicendi futura est in Parcis, quando nent, ut describuntur v. 306. seqq.

*His corpus tremulum complectens undique vestis  
Candida purpurea talos in cinxerat ora.*

Actu verò secundò vaticinantur, dum verba sic expressa sunt. v. 323. seqq.

*O decus eximium magnis virtutibus augens  
Emathia columen Peleu, usque ad vers. 382.*

Actus querendi primus de se a Theseo deserta existerat in Ariadnæ, antequam excita fallaci fomno

*Desertam in sola miseram se cernit arenâ. v. 58.*

Actu secundo verò cœperat ita dicere. v. 132. seqq.

*Siccina me patriis abductam, perfide, ab oris,  
Perfide, deserto liquisti in littore Theseu?*

Et quæ porro sequuntur. Crediderim, speciem esse actus signati, quando de sequentibus aureum seculum temporibus in univèrsum poeta scribit, n. 397. 398.

*Tellus scelere est imbuta nefando,  
Jussumque omnes cupida de mente fugarunt.*

Actum verò exercitum intellige in injuria Minois ex verbis, quibus Theseus egressus curvis elitoribus Piræi attigisse scribitur injusti regis Gortynia tecta v. 74. seqq. & quando Ariadna querens, quod ipsa deserta sit, deserentem aliquoties perjuri insinuat, præcipue: que. v. 134. 135.

*Siccine discedens neglecto numine Divum  
Immemor ab devota domum perjuriam portas?*

§. 15 Prima distinctio partitur potentiam in activam, passivam & objectivam. Potentia activa est in floribus, quâ possunt per mulcere domos, ut rideant jucundo odore. v. 284. Passiva in Prometheo, quâ poterat poenam persolvere, antequam silice restrictus membra catena penderet è verticibus præruptis v. 296. 297. Potentia objectiva cognoscitur in Achille, quo tempore nuptiæ celebrabantur parentum Pelei & Thetidos. Nam secundum hanc poterat existere, etiamsi eo tempore nihil adhuc erat v. 383. seqq. Et subdividitur quidem potentia activa primum in potentiam vel Dei vel creaturæ. Ex quibus, ut potentiam Dei infinitam appellant, & quæ cum potentia passiva non conjuncta est, ita in potentia creaturæ & termini comparent, & multæ simul potentia passivæ. Potentia Dei in variorum deorum gentilium factis iterum occultata est per epithalamium præsens. Sed potentia creaturæ sistitur in Minoe regis Cretensum. Ille potentiam activam habebat, quâ Atheninenses licuit vincere, ab iisdemque humanas victimas Minotauro mactandas exigere. v. 74. seqq.

*Nam perhibens olim crudeli peste coactum  
Androgonæ penas exsolvere cadis  
Electos juvenes simul & decus innuptarum  
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.*

Sed & hæc potentia finita erat. Nam non prorsus Athenienses oppræsserat, impedimentoque esse non poterat, quo minus Theseus regis Atheniensium filius post aliquod tempus ad interficiendum, cui victimæ humanæ debebantur, monstrum proficisceretur v. 81. 82. 83. Et pati etiam oportebat eundem Cretensem regem, ut & Minotaurus interficeretur, & interfector ex laby-



labyrintho in eolumis evaderet, & filia abduceretur, & abducta à Theſeo defereretur; quæ omnia continentur *v. 106. ſeqq. v. 117. ſeqq.*

§. 16. Potentia activa creaturæ eſt vel naturalis, vel obedientialis. Naturalis eſt, quæ viribus naturæ cum generali Dei concuſſu poteſt perducī in actum, qualis eſt in terra madida, & aura verna ad producendos flores & arbores. De quibus, *v. 89. 90.*

*Quale Eurota præſignunt flumina myrtoſ,*

*Aurave diſtinctoſ educit verna coloreſ.*

& iterum *v. 280.*

*Nam quotcunq; ferunt campi, quos Theſſala magniſ*

*Montibus ora creat, quos propter fluminis undaſ*

*Aura parit floreſ tepidi ſæcunda Favoni;*

*Hos in diſtinctiſ plexoſ tulit ipſe corollis.*

Potentia obedientialis fuit in igne quum ſolari; tum fulmineo, quo in fabula de Phaethonte & per erroreſ Phaethontiſ, atque quod equoſ ſoliſ regere non poterat, totuſ munduſ incenſuſ eſt, & incendium iſtud à ſole extraordinarie immiſſum per immiſſia à Jove præter ordinem fulmina extinctum fuit iterum & ſedatum. Namque hæc potentia non poterat perducī in actum viribuſ naturæ, ſed requirebatur concuſſuſ Dei ſpecialiſ & extraordinariuſ. Sed ea reſ inſinuatur *v. 290. 291.* Quo loco lentæ ſororiſ flammati Phaethontiſ, id eſt, populi, in quam arborem ſororeſ Phaethontiſ in calamitate ejuſdem converſæ fuerant, mentio injicitur.

§. 17. Potentia ſenſu alio naturalis, & quatenuſ non præternaturali, ſed voluntariæ opponitur, & in eo conſiſtit, quod poſitiſ omnibuſ ad hoc agendum requiſitiſ non poteſt non agere vel etiam aliter agere, conſpicitur in Zephyriſ, quando matutino flatu placidum mare incitant. De qua re *v. 269. ſeqq.*

*Hic quali flatu placidum mare matutino*

*Horrificanoſ Zephyruſ procliveſ incitat undaſ,*

*Aurora ex oriente, vagi ſub lumina ſoliſ.*

*Quæ tardè primum clementiſ flamine pulſe*

*Procedunt, leviterque ſonant plangore cachinni,*

*Poſt ventoſ creſcente, magiſ, magiſ increbeſcunt,*

*Purpureaque procul monteſ a luce refulgent.*

Potentia vero libera fuit in Peleo, Thetide & Parentibuſ, quum matrimonio Peleuſ & Thetiſ jungerentur. Nam poſitiſ omnibuſ ad

agendum requisitis poterant agere & non agere, atque etiam aliter agere. v. 19. 20. 21.

*Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore.*

*Tum Thetis humanos non despexit hymeneos,*

*Tum Thesidi pater ipse jugandum Pelea sensit.*

Atque etiam in hominibus non dantur tantum potentia liberæ, sed & naturales. Hæque contingunt in somno. Positis enim omnibus ad dormiendum requisitis, non potest non dormire homo, Somni autem recordamur & ex v. 76. & ex versu 127.

*Aut ut eam dulci devinctam lumina somno*

*Liquerit immemori discedens pectore conjux.*

§. 18. Sed & in Deo datur potentia tam ordinata, quam absoluta. Ordinata potentia agit Deus, quando dudum recepto & non novo modo matrimonio jungi fasit conjuges, ut Jupiter a poeta commemoratur concessisse Peleo amores suos v. 26. 27. & Thetis Peleo concessit suam ducere neptem v. 29. oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem v. 30. Sicque etiam Erycina seu Venus in amantium pectoribus curas excitare solet. v. 71. 72.

*Ab misera asfiduis quam luctibus externavit*

*Spinosus Erycina serens in pectore curas.*

Per extraordinariam vero & absolutam potentiam extruxisse Pallas naudem existimanda est, qua Argonautæ vellus Colchicum petebant. v. 8. 9. 10.

*Diva, quibus retinens in summis urbibus arces*

*Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,*

*Pinea conungens inflexæ sexta carina.*

Sed & inter homines Ægeus, Rex Athenarum ordinata potentia, quas pactus erat, humanas victimas Minotauro Cretico mittebat. v. 76. 77. 78. 79. Extraordinaria vero miserat filium ad occidendum monstrum istud. Vid. 70. 74. 75. 81. 82. 83. 172. seqq.

§. 19. In pinu, dum in Peliaco adhuc vertice existerat, erat potentia remota, ut ex ea fieret navis Argonautarum. Proxima vero dicenda est, secundum quam ex jam cæsa Pallas naudem istam extruxerat. v. 7. 8. 9. 10. In Achille, quum nasceretur, erat potentia remota vincendi hostes. v. 338. Proxima vero, quum non illi quisquam bello se conferret heros, quin Phrygii Teucro manarent sanguine rivi.

v. 343.



v. 343-344. Sicque adeo exemplum habetur, si in concreto loqui velimus, entis & actualis & potentialis. Nam navis Colchica, quam pinus adhuc in vertice Peliaco existeret, erat ens potentiale, quoniam actu non quidem existeret, poterat tamen existere, & continebatur in potentia suarum causarum, v. 1. Sed actu jam facta a Minerva erat ens actuale, quod actu existeret extra suas causas v. 8. Sic flores entia sunt potentialia, quando nive per hyemem teguntur ripæ fluminum. Entia vero actualia fiunt, quando aura verna distinctos educit colores. v. 90.

§. 20. Egressus Thesei e litoribus Piræi erat principium non causale amoris in Ariadna accensi v. 74. seqq. Principium vero causale Venus & Cupido. v. 95. seqq.

*Sancte puer curis hominum qui gaudia miscer,  
Quaque regis Golgos, quaque Idalium frondosum,  
Qualibus incensam jactastis mente puellam  
Fluctibus, in flavo sepe hospite suspirantem.*

Navigatio Argonautarum in Colchicam terram erat principium non causale matrimonii inter Pelea & Thetidem contrahendi, principium vero causale consensus personarum cocuntium, ut & parentis. De navigatione. v. 12.

*Quæ simul ac rostro ventosum profcidit aquor,  
Totaque remigio spumis incanuit unda,  
Emergere feri canenti e gurgite vultus.*

De consensu vero v. 19. seqq.

*Tunc Thetidos Peleus incensus fertur amore.  
Tunc Thetis humanos non despexit hymeneos.  
Tunc Thetidos pater ipse jugandum Pelea sensit.*

In iisdem nuptiis principia essendi & personæ connubio junctæ, & contractus, qui connubio eos junxit, tanquam materia atque forma. Res patet ex proxime allegatis versibus. Nam personæ sunt Peleus & Thetis. Contractus vero exponitur per id, quod Peleus incensus fuit amore erga Thetidem, & quod Thetis humanos non despexit hymeneos, id est, uterque mutuos amores & fidem utrique obtulit & despondit ad perpetuos vitæ usus. Ad hæc principia essendi accessit etiam principium fiendi, occasio nempe, qua in mutuos amo-

res exarserunt, quæ fuit, quòd, quum navigatio in Colchidem institueretur, Nereides monstrum navis illius admirarentur, v. 10. seqq.

*Emerfere feri canenti è gurgite vultus,  
Æquorea monstrum Nereides admirantes,  
Illaque baud alia viderunt luce marinas  
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,  
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.  
Tum Thetidos Peleus &c.*

Principium cognoscendi erat suspendendum in nave Thesei, quum ipse in patriam rediturus esset, velum candidum, ut exinde intelligeret Genitor, Minotaurum a filio occisum esse, victoremque adeo ipsum reverti, v. 220.

*Non ego te gaudens latanti pectore mittam,  
Nec te ferre sinam fortuna signa secunda:  
Sed primum multas expromam mente querelas  
Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.  
Inde infecta vago suspendam linteamalo,  
Nostris ut luctus nostræque incendia mentis,  
Carbasus obscura dicat ferrugine lbera.  
Quod tibi si sancti concesserit incola Ioni,  
Qua nostrum genus ac sedes defendere fretis  
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram,  
Tum vero facito, ut memori Tibi condita corde  
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret atas,  
Ut simul ac nostros invisent lumina colles,  
Funestam antennæ deponant undique vestem,  
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,  
Quam primum cernens, ut læta gaudia mente  
Agnoscam, quum te reducem sors prospera sistet.*

Sed & vela nigra principium cognoscendi erant Theseo, ex quo intelligeret, non sine tristitia & singularibus mandatis patris profectum ipsum esse in Cretam. Et dicendum utrumque equidem est principium cognoscendi incomplexum. Principium autem simplex dici aliquo modo potest propositio generalis. v. 134.

Nulla

*Nulla viro juranti fœmina credat  
Nulla viri speret sermones esse fideles.*

§ 21. Omnia causarum genera declarari possunt ex nave Colchica. Causa efficiens enim fuit Pallas, quæ extruxisse illam Catullo creditur. v. 8.

*Diva, quibus retinens in summis urbibus arces  
Ipsa levi fecit volitantem flaminc currum.*

Causæ materiales fuerunt pinus quondam prognatæ Peliaco vertice. Nam dicitur v. 1. & 2.

*Peliaco quondam prognatæ vertice pinus  
Dicuntur liquidas Neptuni nasse perundas.*

Forma consistebat in eo, quod pinæ conjuncta essent texta inflexæ carinæ. v. 9. & 10.

Finis fuit, partim, ut per mare navigaret, partim, ut vellus aureum ex Colchide abduceret. Utrumque conjungitur. v. 3. seqq.

*Quum lecti juvenes, Argivæ roborâ pubis  
Auratam optantes Colchis avertere pellem  
Aus sunt vada salsa citâ decurrere puppi  
Cerule verrentes abiegnis æquora palmis.*

Atque eadem navis dici etiam potest effectum, ratione Minervæ facientis, materiatum, ratione pinuum, formatum, si respicias quatenus pinæ texta inflexæ carinæ junguntur, & id, quod est propter finem, si intuearis actiones, quibus & per mare navigatum est, & Argivæ roborâ pubis auratam optarunt Colchis abducere pellem.

§ 22. Alia causa dicitur vera, alia sine quâ non. Jupiter perjurium Thesei vindicaturus est vera causa præcipitationis, quæ se ex turri Ægeus in mare dejecit. v. 202. seqq.

*Has postquam mesto profudit pectore voces,  
Supplicium sævis exposcens anxia factis,  
Annuit invideo caelestium numine rector,  
Quo tunc & tellus atque horrida contremuerunt  
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.*

Namque exoratus ab Ariadna Jupiter præstitit, ut & Theseo mandatorum paternorum obliato, simul ac lumina patrios colles inviserent, candida retorti non sustollerent vela rudentes, & Ægeus, quam primum inflati lineæ veli conspiceret, præcipitem sese scopulorum

lorum e vertice jaceret, amissum credens immiti Thesea fato. Sed causa sine qua non fuit humana victima, quam Minotauro quotannis offerre cogebantur Athenienses. Ad hanc enim tollendam profectus in Cretam Theseus. v. 80.

*Quis angusta malis quum menia vexarentur,  
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis  
Projicere optavit potius, quam talia Cretam  
Funera Cecropie nefunera portarentur.*

Nam hoc sacrificium non erat quidem vera causa præcipitati Ægei. Habebatur tamen ab imperitis pro causa, quia effectus sine eo esse non poterat.

§. 23. Distingvitur causa in actu talem & potentia talem. Flores, quos Chiron secum ad nuptias Pelci & Thetidos ferebat, causæ erant permulsæ jucundo odore domus potentia tales, quum propter fluminis undas, aura peperisset tepidi foecunda Favoni, v. 287. seqq. actu verò tales judicandi sunt, postquam hos in distinctis plexos tulit ipse corollis in domum permulcendam. v. 284. seqq. Causa potentia materialis navis Colchicæ fuerunt pinus, dum in Pelliaco vertice prognascebantur v. 1. actu verò talis, postquam Pallas pinea conjunxerat inflexæ texta carinæ. v. 10. Causa totalis interfecti Minotauri fuit Theseus. Nam cum eo nulla alia causa concurrit ejusdem ordinis in eodem genere. v. 110.

*Sic domito servum prostravit corpore Theseus  
Nequaquam vanis saltantem cornua ventis.*

Causa verò partialis existimandi sunt lecti juvenes, Argivæ robora pubis, quum

*Auratam optantes Colchis avertere pellem,  
Aufi sunt vada falsa cita decurrere puppi.*

v. 4. 5. Namque in hoc effectu producendo aliæ causæ concurrebant ejusdem ordinis in eodem genere, plures nempe juvenes. Pari ratione causæ sociæ fuerunt in victima cruenta ab Atheniensibus Cretam missa electi juvenes & decus innuptarum v. 78. Fuerunt enim causæ materiales victimæ istius.

§. 24. In amore Ariadnes erga Thesea & perceptorum exinde motuum causa remota fuit Cupido, proxima verò seu immediato Ariadne. Namque inter Ariadnem atque amorem tamquam effectum

non

Non intercescit alia causa ejusdem generis. Inter Cupidinem verò  
& amorem intercescit alia, nempe Ariadne, & in genere quidem cau-  
sa efficientis. V. 95 seqq.

*Sanctè puer, curis hominum qui gaudia mîsces,  
Quique regis Golgos, quæque Idalium frondosum,  
Qualibus iucensam jactastis mente puellam  
Fluctibus in flavo sepe hospire suspirantem?*

In attenuanda umbra arboris falx est causa subordinata, frondator  
non subordinata. Nam falx in causando dependet à frondatore,  
frondator verò à nulla alia causa. v. 40.

*Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.*

Sic in convellenda vomere terra vomer est causa subordinata, tau-  
rus suo modo non subordinata. Nam vomer in causando depen-  
det à tauro, taurus verò à non alia causa. Dixi autem suo modo,  
seu, secundum quid. Nam consideratur versus poetæ, in quo tauri  
folius mentio. Alias constat, quod taurus etiam ab aratore depen-  
deat. Versus autem ita se habet:

*Non glebam prono convellit vomere taurus.*

Quin ipse etiam frondator & arator non absoluta appellatione causæ  
non subordinatæ sunt. Nam uterque dependet à domino fundi, &  
dominus fundi etiam à Deo ipso, seu causa prima. Revera autem  
in genere causæ materialis causæ non subordinatæ sunt subtilis mi-  
tra, levis amictus velans pectus & teres strophium vinciens lactentes  
papillas; quæ partes vestium sunt, quibus Ariadne tegebatur. v.  
63. 64. 65.

*Non flavo retineus subtilem vertice mitram,  
Non contexta levi velatum pectus amictu,  
Non tereti strophio lactentes vincita papillas.*

Aura verna tanquam coelum, & flumen, tanquam aqua, causæ uni-  
versales sunt vegetabilium, quoniam universaliter ad omnia vegeta-  
bilia generanda concurrunt, præcipue arborum & variis coloribus  
præditorum florum. v. 89. 90.

*Quales Euroæ progignunt flumina myrtos,  
Aurave distinctos educit verna colores.*

Sed Peleus & Thetis, sunt causæ particulares. Ex se namque solum  
Achil-

Achillem profeminarunt, particulariterque adeò ad certum tantum effectum producendum concurrerunt. v. 388.

*Nascetur vobis expertis terroris Achilles.*

§. 25. Materia in qua fuit regia venientes ad nuptias Pelei & Thetidos celebrandas excipiens & complexa. De qua v. 32. 33.

*Domum conventu tota frequentat*

*Theſſalia: expletur latanti regia cœtu.*

Et aratrum materia in qua seu subiectum est robiginis. v. 42.

*Squalida desertis robigo inferitur aratris.*

Quin aer est subiectum venti. v. 142.

*Quæ cuncta aeris discernunt irrita venti.*

Objectum seu materia circa quam tauri est gleba convellenda pronò vomere, & arbor umbrosa frondatoris falce umbram attenuantis. v. 40. 41.

*Non glebam pronò convellit vomere taurus:*

*Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.*

Pinus prognatæ vertice Peliaco sunt materia ex qua, seu causa materialis navis Colchicæ. v. 1. & 2.

*Peliaco quondam prognatæ vertice pinus*

*Dicuntur liquidas Neptuni ivisse per undas.*

Item v. 8. 9. 10.

*Diva, quibus retinens in summis urbibus arces,*

*Ipsalevi fecit volitantes flamine currus*

*Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.*

Ita corpus causa materialis fuit Ariadnæ, & animus forma. Corporis mentio est. v. 91. 92. 93.

*Non prius ex illo flagrantis declinavit*

*Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam*

*Funditur, atque imis exarsit tota medullis.*

Nam lumina, pectus & medulla sunt partes corporeæ. Sed anima memoratur. v. 69. 70.

*Sed neque tam mitræ, neque tam fluitantis amictus*

*Illà vicem curans, toto ex Te pectore Theſeu*

*Toto animo, tota pendebat perdita mente.*

Nempe animus & mens idem, quod anima.

§. 26. Flores sunt materia corollarum, sed secunda. Namque



que materiam præbent, quæ consideratur cum certa formâ, quâ jam flores sunt. v. 281. 282.

*Quos propter fluminis undas*

*Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,*

*Hos in distinctis plexos tulit ipse corollis.*

Pari modo arbores, quæ circa sedes regias late contextæ locatæ sunt, ut vestibulum molli fronde velatum viret, materias secundas voco ornatus sedibus appositi. Nam singulæ arbores, suas formas jam habebant, quibus vel fagi, vel lauri, vel platani vel populi vel compressus essent. De quibus omnibus videantur v. 280 seqq. Sed materia prima quidem sensibus exhiberi non potest ex poemate nostro, sed intellectu tamen perceperis, si aliquid esse concipias corporei, quo & flores & arbores nominatæ, si formæ illarum omnes à materia separentur, conveniunt. Lana filorum est materia sensibilis, qualia ducere credebantur Parcæ. v. 311. seqq.

*Læva colum molli lana retinebat amictam,*

*Dextera cum levites deducens fila supinis*

*Formabat digitis &c.*

Sed pro materia intelligibili vendito fata, quæ carmine suo Parcæ apprecabantur nascituro ex matrimonio Pelei & Thetidos Achilli. v. 320. 321.

*Hæc tum clarifona pellentes velleræ voce*

*Talia divino fuderunt carmine fata.*

*Carminè, perfidia quod post nulla arguet atas.*

Aqua est materia myrthorum. Sed materia transiens. Nam myrthi ex ea fiunt pereunte seu mutata aquæ substantia. v. 89.

*Quales Eurotæ progignunt flumina myrthos.*

Materiam autem ideo credo myrthorum aquam, quod elementum est, ex quo crescunt, majoremque subinde molem assumunt. Sed vomeris, falcis & aratri materia permanens est ferrum, ex quo ista conficiuntur. Namque ex metallo isto, quæ diximus, instrumenta rustica fiunt, salva manente ferri essentia. v. 41. 42. 43.

§. 27. Solis forma est informans, ex qua multi calores per tempora messis in terra disperguntur. Nam substantialis est, & per unionem physicam cum materia efficit unum perle, v. 353.

*Namque velut densas prosternens messor aristas*

*Sole sub ardenti flaventia demetit arva.*

Sed navita gubernata navis est forma assistens. Nam unitur quidem cum nave, & dirigit motum ejus, sed licet sit substantialis, non efficit tamen unum perse cum illo subjecto. v. 58.

*Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis.*

Imo & Ariadna, quæ filum dederat, cujus auxilio Theseus errores Labyrinthi evadere potuit, pro assistente forma pariter habenda est. v. 112. seqq.

*Inde pedem victor multa cum laude reflexit,*

*Errabunda regens tenui vestigia filo,*

*Ne labyrinthis e flexibus egredientem*

*Tecti frustraretur inobservabilis error.*

§. 28. In sole exemplum formæ substantialis est, quia cum suo subjecto concretum efficit substantiale. *Vid. allegatos in §. proxime antecedente v. 351. 352.* In iisdemque etiam messoris forma appellatur densas prosternere aristas & flaventia demetere arva. Sed hæc forma accidentalis nominanda est. Est enim abstractum accidentis, quod cum suo subjecto, homine nempe, qui metit, efficit concretum accidentale. Ita florum forma substantialis est, sed modus, quò flores in corollis connectuntur, accidentalis, quia cum floribus, tanquam suo subjecto corollam constituit, tanquam concretum accidentale. v. 281. seqq.

*Quos propter fluminis undas*

*Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,*

*Hos in distinctis plexos tulit ipse corollis.*

§. 29. Forma, ex qua taurus habet, ut glebam pronò vomere convellat, materialis est v. 40. Nam evanescit & in nihilum redigitur, quando tauros cædimus. v. 110.

*Sic domito sævum prostravit corpore Theseus*

*Nequaquam vanis jactantem cornua ventis.*

Ex eo namque corpoream esse judicandum est, quod corpus tantum vastam molem poëta appellat. Indicare enim ita consilium fuit, a materia formam tauri dependisse, ita ut naturaliter extra eam esse non potuerit. Ast animi juvenum, in quibus nimia amoris cupiditas & pejerandi libido, immaterialis forma censendi sunt. Nam quoniam, quæ

quæ diximus, facta sine ratione existerè non possunt, facile concludi potest, quod sine materiâ substantiæ agentes subsistere aptæ sunt.

n. 143. 144

*Tum jam nulla viro juranti femina credat,  
Nulla viri speret sermones esse fideles.  
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,  
Nil metuunt jurare &c.*

§. 30. Forma leænæ, ex qua gignere potest, totalis est. Informat enim totum subje ctum. v. 174.

*Quenam te genuit sola sub rupe leæna?*

Forma vero auris partialis est. Hæc namque informat tantum partem corporis. v. 169. 170.

*Sic nimis insultans extremo tempore se va  
Fors etiam nostris invidit questibus aures.*

Ventorum forma generica est, quia non aliter, quam termino generico efferri potest. v. 237. seqq.

*Hæc mandata prius constanti mente tenentem,  
Thesea, ceu pulsa ventorum flamine nubes  
Aereum nivei montis liquere cacumen.*

Sed forma Zephyri specifica est. Non nisi termino namque specifico, quando exprimenda est, dari potest. v. 269.

*Hic qualis flatu placidum mare matutino  
Horrificans Zephyrus proclives incitat undas.*

§. 31. Causa principalis attenuatæ umbræ arboris est frondator. Nam influit in effectum attenuatæ umbræ virtute non ignobiliore, quam quæ ad producendum effectum istum requiritur. Falx vero est causa instrumentalis, quoniam influit in eundem effectum virtute ignobiliore, quam quæ ad producendum eum requiritur. v. 41.

*Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.*

Pari judicio v. 58. expendendus est. Causa principalis enim navigationis fuit juvenis, instrumentalis verò remi.

*Inmemor at juvenis fugiens pellic vadaremis.*

Præcipitati in mare ex turri Ægei causa secunda fuit ipse Ægeus; causa vero prima Jupiter. De Ægeo agunt v. 243. seqq.

*Quum primum inflati conspexit lintea veli,  
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,  
Amissum credens immitti Thesea fato.*

De Jove considerandi sunt. v. 202. seqq.

*Has postquam maesto profudit pectore voces  
Supplicium sevis exposcens anxia votis,  
Annuit invicto cælestum numine rector,  
Quo runc & tellus, atque horrida contremuerunt  
Æquora concussitque micantia sidera mundus.*

Dico autem Jovem causam primam non ex rei veritate, sed quia ex opinione gentilium iste in hac effectione à nullo dependebat, ab ipso vero alia omnia dependebant. Causa secunda vero erat ipse se præcipitans Ægeus. Namque, ut id faceret, movebatur, & impellebatur, à causa prima, seu Jove sic ipsum punire volente.

§. 32. Quando v. 89. & 90. flumina scribuntur progignere myrtos & auræ vernæ educere distinctos colores, exemplum deprehendimus causæ æquivocæ; quandoquidem effectus myrti nempe & colores non sunt ejusdem speciei infimæ cum fluminibus & aura vernæ, tanquam causa efficiente. Sunt autem versus:

*Quales Eurota progignunt flumina myrtos,  
Auræve distinctos educit vernæ colores.*

Similiter sentiendum est de Pallæde construente navem Colchicam. v. 8. 9.

*Divæ, quibus retinens in summis urbibus arces  
Ipsa levi fecit volitanti flamme currum.*

Ægeus verò causa fuit univoca Thesei. Nam Ægeus ejusdem erat speciei infimæ cum Theseo tanquam suo effectu. v. 212. seqq.

*Namque ferunt, olim classi quum mænia Divæ  
Linquentem gnatum undis concrederet Ægeus  
Talia complexum juveni mandata dedisse.*

In eodem causarum censu sunt Peleus & Thetis, quum ex matrimonio istorum nasceretur Achilles. v. 328.

*Nascetur vobis expers terroris Achilles.*

§. 33. Theseus interficiens Minotaurum Creticum causa fuit libera, quod agebat per potentiam liberam, positisque adeo omnibus ad agendum requisitis poterat agere & non agere. Sed quando  
turbo

turbo dejicit quercum in monte Tauro, videtur causa naturalis, quod agit per potentiam naturalem, positisque ad agendum omnibus requisitis non potest non agere. v. 107.

*Nam velut in summo quatientes brachia Tauro  
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum  
Indomitus turbo contorquens flamine robur  
Eruit. Illa procul radicibus extirpata  
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangit,  
Sic domo seivum prostravit corpore Theseus  
Nequaquam vanis jactantem cornua ventis.*

Sed & quercus, dum cadit, frangens & late & cominus obvia non nisi pro causa naturali habenda est. Penes afferens varias arbores, istasque contextas circa sedes late locans, vestibuli molli velati fronde causa erat physica, quia influebat per influxum physicum. Sed nuptias celebrantes Peleus & Thetis causa erant moralis, quod non aliter ad hunc producendum effectum concurrerent, quam quia occasionem suppeditaverant, Penesque adeo studia ad solennitatem istam invitaverant v. 288. seqq.

*Ille tulit radicibus altas  
Fagos ac refo proceras stipite laurus  
Non sine nutanti platano lentaque sorore  
Flammam Phaerontis &c.*

Qui in nuptiis Pelei & Thetidos construxere multiplici dape large mensas, causae dicendae sunt per se, quod & physico & morali influxu ad effectum istum producendum concurrerant. v. 303. 304.

*Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus  
Large multiplici constructae sunt dape mensae.*

Sed & ipsi convivae, qui affidebant mensis, sessionis istius causae sic erant per se. Natus, cui ignaro mater impia se subtravit; causa concubitus dicendus est per accidens moralis. Nam habuit quidem influxum per se physicum, sed egit abque influxu morali. v. 403.

*Ignaro mater subternens se impia nato,  
Impia non veritae est divos scelerare penates.*

Mittens in Cretam filium Thesea Aegaeus causa fuit occisi Minotauri per accidens physica. Nam eo quidem consilio misit filium, ut monstrum interficeret, sed ipse tamen monstrum non interfecit, sed

sed filius; habuitque adeo influxum quidem moralem, sed non physicum. De influxu morali poeta testatur, v. 227. seqq.

*Quod tibi si sancti concesserit incola Ironi.*

*Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis  
Annuit, ut tauri conspergas sanguine dextram.*

Influxus vero physicus filii existit in v. 110.

§. 34. Finis sumitur vel pro extremo vel pro causa finali. Quo tempore Ægeus præcipitem sese scopulorum e vertice jecit, extremum ejus adfuit. Nam terminus ultimus istius vitæ adfuit, propter quem tamen ipse non fuit. v. 243. 244. Sed interfectio Minotauri causa finalis fuit protectionis a Theseo in Cretam susceptæ. Vid. v. 73. seqq. Finis ultimus, cur lecti juvenes Colchica expeditione occuparentur, fuit, ut Colchis auratam averterent pellem. v. 1. seqq.

*Peliaco quondam pregnata vertice pinus  
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas,  
Phasidos ad fluctus & fines Æteos,  
Quum lecti juvenes, Argivæ r. bora pubis,  
Auratam optantes Colchis avertere pellem  
Aufsunt vada falsa cita decurrere puppi.*

Nam propter hanc actionem fuerunt fines intermedii, & extractio-  
navis & navigatio ipsa. Vide versus jam adscriptos, & qui porro  
sequuntur. Finis principalis Ariadnæ sequuturæ Thesea in patriam  
post interfectum Minotaurum fuit, ut ipsi matrimonio jungeretur.  
Nam propter hunc finem ita egit, ut etsi nullum alium sibi habuisset  
propositum, tamen egisset. Sed ut abduceretur in servitutem The-  
sei, finem puto fuisse minus principalem. Propter hunc enim ita  
egisse existimanda est, ut si nullum alium finem sibi habuisset propo-  
situm, non acturam fuisset, credibile sit. v. 154. seqq.

*Quenam te genuit sola sub rupe Leona?  
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?  
Quæ syrtis, quæ scylla vorax, quæ vasta charybdis?  
Talia qui reddis pro dulci proemia vita?  
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,  
Sera quod horrebas prisca præcepta parentis,  
At tamen in vestras potuisti ducere sedes,*

*Que*

*Que tibi jucundo famularer serva labore,  
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,  
Purpureave tuum consternens veste cubile.*

Sic finis principalis erat dimittentis in Cretam filium Thesea Ægei, ut interficeretur Minotaurus Cretensis; minus principalis vero, ut signa luctus publici in velis haberet filius, hæcque submoveret, si victo monstro sospes in patriam reversurus sit. v. 214. seqq. Ex quibus v. 228.

*Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,  
Quæ nostrum genus ac sedes defendere fretis  
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram,  
Tum verò facio, ut memori Tibi condita corde  
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret atas,  
Ut simul, ac nostros inviserent luminacolles,  
Functam antennæ deponant undique vestem,  
Candidaque intorri sustollant vela rudentes,  
Quam primum cernens ut læta gaudia mente  
Agnoscam, quum Tereducem sors prospera sisset.*

Finis objectivus Pelei nuptiis sibi jungentis Thetida erat Thetis. Finis formalis verò, ut conjugis amoribus frueretur. Quod describitur, v. 327. seqq.

*Adveniet fausto nam sidere conjux,  
Quæ Tibi flex animo mentem perfundet amore,  
Lanquidulosque parat tecum conjungere somnos  
Levia substernens robusto brachia collo.*

§. 35. Quo Theseo interficere Minotaurum constitutum fuit, finem voco efficiendum. Nam, quum ex patria abiret Theseus, ut monstrum interimeret, nondum existerat mors Minotauri, v. 228.

*Quod Tibi si sancti concesserit incola Itoni,  
ut tauri respergas sanguine dextram.*

Sed pellis Colchica erat finis Argonautarum obtinendus, quia alibi jam existerat, quum Argonautæ acquirere sibi eam vellet. v. 3. 4. 5.

*Quum lecti juvenes, Argivæ robora pubis  
Auraram optantes Colchis avertere pellem  
Ausi sunt vada salsa citâ decurrere puppi.*

Conjugium Thesei erat finis æternus in Ariadna. Nam ipsa quidem

dem putabat, istud se consecuturam, Ariadna. Sed votis excidebat, v. 140. 141.

*Non hoc miseram sperare jubebas.  
Sed connubia lata, sed optatos hymanteos.*

Et v. 116. seqq.

*Sed quid ego a primo digressus carmine, plura  
Commemorem, ut linquens Genitoris filia vultum &c.  
Aut ut eam dulci depictam lumina somno  
Liquerit immemori discedens pectore conjux.*

Finis vero internus erant blanditiæ, quibus amorem Thesei captabat & affluebat virgo Cretica. v. 96. seqq.

*Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,  
Quaque regis Golgos, quaque Idalium frondosum,  
Qualibus incensam jactastis mente puellam  
Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!  
Quantos illa tulit langventi corde timores!  
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!  
Cum sexum cupiens contra contendere monstrum  
Aut mortem oppeteret Theseus, aut premia laudis,  
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis  
Promittens, tacito suspendit vora labello.*

Finis cui, interfecto a Theseo Minotauro, erant Athenienses. Hos enim volebat Theseus liberare a pena, qua cogebantur Minotauro quotannis victimas humanas seu juvenum, seu juvenularum mittere. Finis vero cujus erat interfectio Minotauri. Nam per hanc liberabantur Athenienses à malo ipso. v. 74. seqq.

*Illate tempestate ferox & tempore Theseus  
Egressus curvis e litoribus Pireæi  
Attingit injusti regis Gortynia tecta.  
Nam perhibent olim crudeli peste coactam  
Androgeoneæ poenas exsolvere cadis  
Electos juvenes, simul & decus innuptarum  
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.  
Queis angusta malis quum moenia vexarentur,  
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis  
Projicere optavit potius, quam talia Cretam  
Funera Cecropiæ nefunera portarentur.*



§. 36. Numen Divum est ens necessarium. Ita enim existit, ut non possit non existere, v. 134.

*Siccine discedens neglecto numine Divum  
Immemor, ab devota domum perjurias portas.*

Fera verò & alites sunt entia contingencia. Namque ita existunt, ut possint non existere, v. 152. 153.

*Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque  
Præda, nec injecta tumulabor mortua terra.*

§. 37. Compositio realis est in Achille, quando & pectus & tergum in eo notatur, v. 338. 339.

*Nascetur vobis expers terroris Achilles  
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.*

Nam extrema tergum atque pectus & realia sunt, & realiter a se distincta. Idem ex eadem causa dici etiam debet de matribus interfectis ab Achille filios quondam deploraturis. Nam notantur in iis fuisse crines, pectus & palmæ, v. 348. seqq.

*Illius egregias virtutes claraque facta  
Sæpe ferebuntur gnatorum à funere matres,  
Quum cinere incanos solvent à vertice crines,  
Putriaque infirmis variabunt pectora palmis.*

Mens verò congregatur ex facultatibus suis non tam re, quam ratione; quippe facultates illius tanquam extrema realiter non sunt distinctæ, sed tantum à ratione sive intellectu, ut distinctæ concipiuntur. Sunt autem ejusmodi facultates, cogitatio, sive intellectus, quando unius tantum personæ meminimus, ut Ariadna Thesei fugientis, p. 68. 69. 70.

*Sed neque tum mitra, neque tum stuitantis amictus  
Illa vicem curans toto ex Te pectore Thesei  
Toto animo, tota pendebat perditæ mente;*

Voluntas, sive animus circa res præsentibus distractus, magnaque rerum oblatarum vel aversione vel appetitione turbatus, v. 95.

*Sanctæ puer curis hominum quæ gaudia miscet,  
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,  
Qualibus incensam jactastis mente puellam  
Fluctibus, in flavo sæpè hosti te suspirantem!*

Consilium ita mentis memoratur, v. 136.

*Nullane res potuit crudelis flectere mentis  
Consilium?*

Vide etiam versus 205. seqq. 236. 237. Sic animus exhibetur prægesti-  
ens aliquid apisci, id est, appetitu concupiscibili bona sibi acquirere  
velle, v. 145.

*Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,  
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.  
Sed simul ac cupida membris satiata libido est,  
Dicit a nihil metuere, nihil per jura curant.*

§. 38. Arbitror, exemplum esse totius essentialis. v. 189.

*Nec prius à fesso secedunt corpore sensus.*

Nam per sensus inielligitur ipsa anima. Nec sine causa. Nam nec  
corpus sensibus externis uti potest, nisi ab anima gubernetur. To-  
tum integrale disimulare est, quando mundus distinguitur in cœlum,  
terram & aquam. Nam non solum non coherent per modum con-  
tigitatis, sed partes etiam sunt diversæ rationis sive essentialis. Ex-  
hibentur autem hæ partes mundi. v. 203. seqq.

*Annuat invito cælestium numine rector,  
Quo nunc & tellus atque horrida contremuerunt  
Æquora, concussit que micantia sidera mundus.*

Pari ratione divellitur homo in oculos & pectus. v. 218. 219.

*Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus  
Reddite in extreme puper mihi sine senectæ,  
Quandoquidem & fortuna mea ac tua fervida virtus  
Eripit invito mihi Te, cui languida nondum  
Lumina sunt gnati cara saturata figura,  
Non ego Te gaudens letanti pectore mittam.*

Totum integrale homogœneum seu simile constituit undæ. Nam  
partes ejus omnes, quæ vento nunc huc, nunc illic agitantur, ejus-  
dem rationis seu essentialis sunt. Meminimus autem partium aque-  
arum ex v. 269.

*Hic qualis flatu placidum mare matutino  
Horrificans Zephyrus proclives incitat undas,  
Aurora ex oriente vagi sub lumina solis,  
Quæ tardè primum clementi flamine pulse  
Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni.*

Totum

Totum universale est arbor seu frons, quoad tanquam genus in fagos, lauros, platanos, populos, cupressus dividitur. v. 287-288.

*Namque ille tulit radicitus altas  
Fagos, & rectas procero stipite laurus  
Non sine nutanti platano, lentaque sorore  
Flammati Phaethontis, & aëria cupressu.  
Hec circum sedes late contexta locavit  
Vestibulum ut molli velatum fronde viveret.*

§. 39. Exemplum identitatis à genere dicta est in fago, lauro, platano, populo & cupressu. Nam multae species sunt, quae conveniunt in uno genere, nempe fronde, sicque virente arbore. Fit id autem v. 288. seqq. usque 293. Identitate vero specifica conveniunt suspensa lintea infecta vago malo in nave Thesei. v. 225. & pulvinar geniale in sedibus mediis Thetidi positum v. 47. Nam unum sunt ratione illius speciei, quae vestis est. Sic namque utrumque nominatur. Et pulvinar quidem. v. 50.

*Hec vestis priscais hominum variata figuris  
Heroum varia virtutes indicat arte.*

Lintea autem. v. 233. seqq.

*Hec vigeant mandata, nec ulla obliteret aetas,  
Ut simul ac nostras invisent lumina colles  
Funestam antennae deponant undique vestem.*

Similitudo fuit in Peleo & Thetide mutuo amore se invicem com-  
placentibus. v. 334.

*Nulla domus tales unquam contexit amores,  
Nullus amor tali conjunxit sedere amantes,  
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.*

Æqualitatem existere posse autumo in remis. Nam ejusdem lon-  
gitudinis & latitudinis iidem plerumque solent esse, quando naves  
istorum auxilio promoventur & propelluntur. Fit autem men-  
tio istorum. v. 182. 183.

*Conjugis an fido consoler memet amore?  
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?*

Identitas subiecti fuit in Achille. Nam & quoad animum fortitudi-  
ne pollebat, & quoad corpus celeritate ipsas cervas superabat. v.  
338. seqq.

*Nascetur vobis expertis terroris Achilles,  
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,  
Qui persaepe vago victor certamine cursus  
Flammea praevertit celeris vestigia cervæ.*

§. 40. Sed & in variis diversitatibus suppetunt exempla. Justitia fugata & homines, a quibus justitia depulsa fuit, sunt diversa genere. Nam humanum genus accersitur ex ordine substantiarum. Sed justitia inter ea referenda est, quæ accidentia dicuntur. Inter fagos, laurus, platanos, populos & cupressus diversitas est specifica. Sunt enim diversæ species, licet sub eodem genere nempe arborum existant. v. 288. Inter lectos juvenes, qui ad petendum aureum velus navigabant, erat diversitas numerica. Differabant enim isti numero. v. 4. Dissimilitudo deprehensa est inter Ariadnam & Bacchum sociosque ejus. v. 249. seqq. Ariadna plena enim erat curis & mœrore. Sed Bacchus & socii in suis plaudebant gaudiis.

*Quæ tum prospectans cedentem mœsta carinam,  
Multiplices animo volubet saucia curas,  
At parte ex alia florens volitabat Jachus,  
Cum thyrso Satyrorum & Nesigenis Silenis,  
Te querens, Ariadna, tuoque incensus amore,  
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant.*

Inæqualitatem credo fuisse inter flores, quos ad nuptias Thetidis ferebat Chiron, & inter arbores, dona Penei ad eandem celebritatem. Nam flores parvi erant, ut exiis corollæ possent nesti. Sed arbores pro magnitudine sua velabant vestibulum virente fronde. Vid. v. 283.

*Aura parit flores repidi facunda Favoni,  
Hos in distinctis plexos tulit ipse corollis.*

Et v. 292. 293.

*Hæc circum sedes latè contexta locavit,  
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.*

Diversitas subjecti fuit inter homines aureo & in seculo ferreo viventibus. Nam in istis fuit castitas & pietas, & justitia. In his vero scelus infandum & impietas. v. 384

*Præsentem namque ante domus invisere castas  
Sæpius & sese mortali ostendere cœtu*

*Calicula*

*Cæcicolæ nondum sprete pietate solebant.*

Et v. 397.

*Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,  
justitiamque omnes cupida de mente fugarunt,  
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,  
Justificam mentem nobis avertere Deorum.*

§. 41. Distinctio realis strictè sic dicta est inter falcem & frondatorem. Namque in hoc exemplo intellectus distingvit duos conceptus, quibus extra mentem respondent duæ res. v. 41.

*Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.*

Distinctio verò modalis existit in mari, & concitatione ejus per ventum. Namque affectio ista, qua ventosum est actu mare, tanquam rem singulare mare ita afficit, eique affixa ita quasi est, ut nec per potentiam Dei possit existere sine illa re singulari, tametsi mare tanquam res singularis possit existere sine agitatione ventorum. v. 12.

*Quæ simul ac restro ventosum præcidit aquor.*

Atque ex inde etiam intelligitur, quod duo allegata exempla distinctiones reales sunt, quod & falx à frondatore, & ventus, quo mare concutitur, à mari realiter separari & divelli possunt. Et ita hæc duo etiam separantur, ut in separatione falcis à frondatore & falx & frondator post separationem seorsum existant; in separatione vero venti & maris mare post separationem existat, ventus autem nusquam ulterius reperitur. Distinctione rationis diversus est Peleus, quatenus sponsus est & quatenus nondum sponsus est, quia sic distinguuntur duo conceptus, quibus extra mentem non respondent duæ res, sed una tantum eademque. Unus enim tantum est Peleus, sive ut sponsus, sive ut nondum sponsus concipiatur. Et sic exemplum etiam est distinctionis rationis ratiocinatæ. Nam Pelea & sponsum esse, & nondum sponsum esse, insunt nemine etiam cogitante, v. 19. seqq.

*Tum Thetidos Peleus incensus fertur amore,*

*Tum Thetis humanos non despexit hymeneos,*

*Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.*

Quod si vero Ariadnam concipiamus partim, ut amantem Thesea, partim ut amatam à Theseo, distinctio erit rationis ratiocinantis. Nam hæc distinctio fuerat in conceptibus Ariadnæ diversis, qui non  
grant

erant in ista cessante intellectu, & à quorum altero solum denominabatur extrinsece, v. 132.

*Siccine me patris abductam perfide ab oris  
Perfide deserto liquisti in litore Theseu?*

§. 42. Robigo & integritas a robigine in ferro est oppositio privativa. Nam robigo nihil aliud est, quam absentia integritatis ex subjecto capaci, ferro v. 42.

*Squalida desertis robigo infertur aratri.*

Nudus & tectus præterea opponuntur, v. 128. 129.

*Tum tremuli salis adversus procurrere in undas  
Mollia nudata tollentem tegmina furis.*

Sed & hæc duo privativè opponi, exultimandum est. Nuditas quippe nihil aliud est, quam privatio tegminum in subjecto capaci. Irritum promissum est contradictio in adjecto. v. 58. 59.

*Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,  
Irrita ventosa linquens promissa procelle.*

Idem enim est, ac si dicas, promissum non promissum; quam contradictionem explicitam appellamus. Ita contradictionem formabat explicitam Ariadna, quum auxilia curis esset pro Theseo Minotauro exitium illaturo. Cogitabat enim, nunc Theseus appetit mortem, nunc, Theseus non appetit mortem. n. 110.

*Quantum saepe magis fulgore expalluit auri  
Quumævum cupiens contra contendere monstrum  
Aut mortem oppeteret Theseus, aut premia laudis.*

Clementia & crudelitas opponuntur contrarie. Nam simul non possunt esse in eodem subjecto quoad idem in gradibus intensis, v. 135.

*Nullane res potuit crudelis flectere mentis  
Consilium? Tibi nulla fuit clementia præsto,  
Immitte ut nostri vellet miserescere pectus?*

Relativè opposita sunt dominus & servus, maritus & uxor, parens & filius. Omnium horum oppositorum mentio est v. 58. seqq.

*Si Tibi non cordi fuerant, connubia nostra,  
Sæva quod horrebas præsci præcepta Parentis,  
At tamen in vestras potuisti ducere sedes,*

*Quæ Tibi jucundo famularer serua labore,  
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.*

§. 43. Ens universale est alga. Nam secundum unam aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur. v. 168.

*Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.*

Pariter ens universale est Lexana. v. 164.

*Quanam Te genuit sola sub rupe Lexana!*

Sed Achilles est ens singulare. Nam ita est unus, ut secundum eam ipsam rationem, qua unus esse dicitur, non sit communicabilis multis, ut inferioribus, v. 338.

*Nascetur vobis expers terroris Achilles.*

§. 44. Pro ente infinito ex opinione gentilium habebantur cœcolicæ. v. 386.

*Præsentem namque ante domus invisere castas  
Sæpius & sese mortali ostendere cœtu*

*Cœcolicæ nondum sprete pietate solebant.*

Et facile fuerit per analogiam aliquam ostendere, omnes quatuor modos vel his ipsis tribus versiculis annotari posse, quibus à Metaphysicis Deus creditur ens infinitum esse. Sanè infinitos cœcolicæ fuisse ratione essentia, inde credibile est, quod in cœclis habitabant tanquam domini, ad quam dignitatem non nisi absolute summus admitti debet. Sed & perfectio maxima in istis patet, quod virtutes tantum amant. Dicuntur namque adfuisse tantum mortalibus, dum pietas nondum sprete fuerit. Duratio porro longior etiam extitit, quam rerum creaturarum, quod mortalibus opponuntur. Et præsentia tandem etiam singularis fuit, & magis ampla, quam quæ creaturis competit, quod præsentem ante domos invisere castas soliri fuerunt. Sed Theseus est exemplum entis finiti. Habebat essentiam finitam. Dubitabat enim ipse Ægeus parens, an felix futurus sit in occidendo Minotauro, v. 228.

*Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,*

*Quæ nostrum genus ac sedes defendere fretis*

*Annuit, ut Tauri respegas sanguine dextram.*

Finita erat perfectio. Namque occiderat quidem Minotaurum. Sed cædis istius felicitatem non obtinisset, nisi adhibito ex suppeditato

ditato ab Ariadna consilio per filum errores Labyrinthos evitasset,  
v. 112. seqq.

*Inde pedem victor multa cum laude reflexit  
Errabunda regens tenui vestigia filo,  
Ne Labyrinthis è flexibus egredientem  
Tecti frustraretur inobservabilis error.*

Atque ipse etiam oblitus erat, quæ parens præciperat, sicque in exitum illum præcipitaverat, v. 207.

*Ipsæ autem cæca mentem caligine Theseus  
Construs, oblitus dimisit pectore cuncta  
Quæ mandata prius constanti mente tenebat.*

Circumscripta erat duratio. Exitum enim ejus, finemque adeo timebant & Genitor & Ariadna. De Genitore jam antea actum est. De Ariadna vero. v. 100.

*Quantum sepe magis fulgore expalluit auri,  
Cum se vum cupiens contra contendere monstrum  
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.*

Nec plena ad postremum dici potest præsentia. Nam quo tempore in Creta erat, absens à patre Athenis expectabatur, v. 236.

*Quam primum cernens ut læta gaudia mente  
Agnoscam quum Te reducem fors prospera sisset.*

§. 45 Perfectionem partium dixerim esse in felicitate Pelei & Thetidos matrimoniali, quod conjugium istud felix fore, Paræ canunt & ex parte eorum, qui connubio junguntur, & ex parte nasciturorum liberorum, & ex parte novis nuptis aut consanguinitate conjunctorum, aut necessitudine alia adhaerentium. Sed perfectio graduum est, per quam memoratæ partes omnes summa prosperitate perfusum iri, prædictum est; ad venturum enim esse Hesperum portantem optata, & adventuram fausto cum sidere conjugem, quæ flexanimam maritum perfutura sit amore. v. 327. seqq. Amorem singularem futurum esse, quo inter se conjuges arsurî sint, nullumque amorem tali conjunxisse foedere amantes, qualis adfit Thetidi, & qualis concordia Peleo, v. 335. Nasciturum fortissimum filium, cujus fortia pectora nemo lætis admirari possit v. 343. seqq. & nunquam denique an-



xiam matrem discordis moestam puellæ secubitu caros missuram  
 sperare nepotes, v. 379. seqq.

§. 46. Ex parte speciali Metaphysices, ad Deum quidem spectat  
 Numera divinum, v. 134. Per hoc enim gentiles intellexerunt sum-  
 mam majestatem, quam concipere debet, qui ideam sibi Dei, tanquam  
 summi entis, sumere cupit. Sed creaturæ sunt, mundus, sidera,  
 terra & oceanus. v. 205. turbo 107. montes v. 126. platani, lauri, ar-  
 bores, aurum, atque argentum. v. 38. 39. 40. seqq. Ex creaturis  
 porrò arena & procella nominanda est. v. 56. seqq.

*Ut pote fallaci, quæ tum primum excita sono*

*Desertam in sola miseram se cernit arena,*

*Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,*

*Irrita ventosæ lingue promissa procellæ.*

Substantiæ sunt, fagi, lauri, platani, populi. Accidentia verò  
 quod fagi ferantur radicitus, quod platani nutent, & quod populi  
 lentæ sint, quæ omnia continentur. v. 288. seqq.

*Namque ille tulit radicitus altus*

*Fagos, ac recto proceras stipite laurus,*

*Non sine nutanti platano, lentaque sorore*

*Flammæ Phæobontis, & aeris cupressu.*

Nec minus in v. 78. 79. 80. exempla sunt substantiarum & accidentium.

*Sed neque tum mitra neque tum fluitantis amictus,*

*Illa vicem curans, tota ex Te pectore, Theseu,*

*Toto animo, tota pendebat perdita mente.*

Nam substantia animus est & mens, utpote pars altera hominis. Ac-  
 cidens verò est, quod Ariadna toto animo & tota mente pendebat ex  
 Theseo. Aliud exemplum est. v. 348. 349.

*Illius egregias virtutes, claraque facta*

*Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres.*

Substantias enim voco personas, quæ matres appellantur, & acci-  
 dentia, quod in funeribus gnatorum suorum extinctorum scilicet  
 & intersectorum ab Achille fatebantur egregias virtutes & clara fa-  
 cta Achillis. Ita nasciturus prædicatur terroris expers Achilles. v.  
 338. Sed sic Achillem pro substantia accipe, & pro accidente, quod  
 animus fortis in eo existeret.

De pluribus dicere ulterius non opus est.

Erratorum, quæ irreperunt, extantioribus ita medendum est.  
 n. 3. Jambus primus sic efferendus est. Aut nil timendum, nilque  
 sevum queis magis. n. 6. Jamb. 1. pro istos leg. istum. n. 25. Jamb. 3.  
 pro solis leg. solari. n. 30. Jamb. 4. p. quin non l. queis non. n. 51.  
 Jamb. 1. p. qui l. quod. n. 73. Jamb. 2. p. crinium l. crinum.  
 n. 73. Jamb. 4. p. crinum l. crinium. n. 87. Jamb. 1. p. adlit l.  
 haud desit. n. 92. Jamb. 3. p. haud se, l. se haud p. 41. lin. 15.  
 p. εἶρ l. εἶρ p. 48. l. 34. pr. 26. l. 16. p. 50. l. 1. p. com-  
 mitalibus l. commatibus. p. 58. l. 7. p. versus l. versum. p. 69. l. 15.  
 pr. vitis l. divitis. p. 69. l. 28. 29. p. memorata l. numerata. p. 79. l.  
 10. p. instructis omnis l. instructis omnia. p. 80. lin. 4. p. πολυθρηνησι  
 l. πολυθρηνησι p. 99. l. 7. p. quale l. quales. Cætera aequitati  
 lectoris permittuntur.



99 A 6989


ULB Halle 3  
002 824 795



5b,

Retra ✓





75

J. N. R. J.

# YHISTOR BARICUS MANTISSA

NDENTIBUS CATULLIANIS

Consensu

Facultatis Philosophicæ

IN

EMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

SINRICO ERNESTI,  
of. Publ. & Rectore Thomano

&

RESPONDENTE

UELE Gottlieb Beyern,  
hio Varisco, SS. Theol. Stud,  
lica disquisitione excutiendus

A. R. S. M. DCC. XII, H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

ERIS ZEIDLERIANIS.

Color calibration chart (Farbkarte #13) with a ruler in inches and centimeters. The ruler shows inches from 0 to 8 and centimeters from 0 to 19. The color chart includes patches for Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, Magenta, White, 3/Color, and Black. The text 'B.I.G.' is printed at the bottom of the chart.

